9 Nc

IDEÆ CARTESIANÆ

AD

LYDIUM Veritatis LAPIDEM

(*Terminorum* ſcilicet *Connexionem*)

EXPENSÆ.

UBI

Diſſertatio ingenioſi admodùm Viri, D. *Antonii Le Grand*, *De Ratione Cognoſcendi*, ac Appendix ejuſdem *De Formali Mutatione*, Principiis eſſe Deſtitutæ, imò *Primis* Intellectûs *Principiis* Oppoſitæ demonſtrantur; & *Virulentæ* quas intorquet Calumniæ *amicè* redarguuntur.

Authore *J. S.*

LONDINI,

Venum proſtant apud *Abelem Roper*, ad inſigne *Æthiopis*, & *Thomam Leigh*, ad inſigne *Pavonis*, in *Fleet-Street*; & *Thomam Metcalf*, in *Drury-Lane*. 1698.

10

MVSEVM
BRITAN
NICVM
627

PRÆFATIO

A D

Doctiſſimos utriuſque Academiæ noſtratis Viros, Philoſophiæ Arbitros,

Directa.

DUM Metaphyſica meditabar, Viri Ornatiſſimi, quò Incœptum meum SCIENTIAM firmis Principiis extruendi, ac, pro modulo meo, amplificandi, etiamnum proſequerer; prodiit contra me Libellus, ſeu veriùs (ſi *Præfationem* ſpectemus) *Scriptum Defamatorium* cujuſdam Gallo-Belgæ, D. *Antonii Le Grand*, Carteſiani; eâ virulentiâ atque intemperantiâ conſcriptus, ut vix à Mundo Condito (ſi ſingulæ expendantur Circumſtantiæ) quicquam huic ſuppar à quoquam editum aut viſum fuerit. Monuêrunt me Amici ut ſinerem hominem præcipitem, & quicquid vult valdè volentem, ſuum debacchando explere animum; néve Avocamento adeò frivolo à ſtudiis longè utilioribus abſiſterem. Allegabant, neminem ſanæ mentis ejuſmodi *Rabulam* vel flocci æſtimaturum. Omnes mediocriter ſapientes jam probè nôſſe exuberantem *Paſſionis* malevolæ *copiam* (præſertim ex nulla Provocatione ortam) *Rationis* atque Argumentorum *Inopiam* nimis

apertè indicare. Subſtiti paulìſper cogitabundus: Donec tandem mihi diluxit permagnum fortaſſis Rei Literariæ Commodum ex Reſponſione meâ oriundum. Nam, ſi, ex unâ parte, conſtiterit nihil quicquam Solidi ſeu Principiis nixi, adferre poſſe Carteſianæ Doctrinæ Hyperaſpiſtas, etiam quando ad Vires ſuas penitùs exerendum, extimularet Iracundia, omnium Perturbationum animi longè ferociſſima; ex alterâ verò, eos uſque adeò ad incitas eſſe redactos, ut confugerint ad Adverſarium rabioſis maledicentiis inſectandum, nullâ aliâ de causâ, præterquàm quòd Sectæ illius Doctrinam Principiis eſſe *Deſtitutam* oſtendiſſet; indicium fore evidentiſſimum è Rationis Cardine emotos eſſe eorum animos, & quòd conſcii ſint ſe Causâ ſuâ omninò cecidiſſe.

Unde operæ pretium erit penitiùs inveſtigare quænam tot Convitiorum fuerit Origo; atque explorare quam occaſionem dederim ipſe, cur D. *Le Grand*, tales, contra virum vel ſibi (nè dicam magnæ Doctorum in Angliâ multitudini) meliùs notum, evomuerit Contumelias.

Veritatis, ac *Scientiæ* quæ Veritatis *Mater* eſt, promovendæ Studio accenſus, & nonnullorum Virorum Doctorum precibus permotus, ad opus illud (ſi quod aliud) Mundo utiliſſimum capeſſendùm tandem me accinxi: Et, ſollicitus nè induſtria virorum ingenioſorum ad Cognitionem ac Veram Philoſophiam anhelantium, debito (prout, heu! nimis compertum eſt) fructu privaretur; quod inde eveniſſe animadverteram eò quod *Methodi* certò *ad Scientiam ducentis* vel inſcii, vel certè minimè ſequaces, fuerint; *Theſes* haſce, Certiſſimas atque

que Evidentissimas, primo in loco, veluti solas atque Unicas Philosophandi Bases ponendas judicavi: Nempe, *Veritatem* nusquam præterquàm in *Propositione Mentali* reperiri, nec aliter quàm *Vocali* exprimi. Porrò, Propositionis *Veritatem* in Subjecti ac Prædicati (qui *Termini* Propositionis à Logicis nominantur) *Connexione* formaliter consistere; unde sequitur, nullibi nisi in *Terminorum* istorum *Cohæsione*, seu veriùs (ut patet ex Copula [*Est*]) *Identificatione*, quærendam aut inveniendam esse *Veritatem*: Nec, proinde, ullum Placitum Philosophicum pro *Vero* habendum præterquam illud cujus *Terminos* esse *Connexos* videamus; & quod sequitur, nullam *Conclusionem* (dum in Humanis Scientiis consistitur) tanquam *Veram* admittendam, nisi *Termini* Conclusionis cum *Tertio* quopiam in Præmissis itidem *Connexi* fuerint.

Porrò, *bina* cernebam esse *Evidentiæ* Genera. Unum, earum Propositionum quæ sunt *Evidentia-ex-sese*; quando, scilicèt, Termini adeò *arctè* compinguntur ut *penitùs*, seu *formalissimè*, Identificentur: cujusmodi sunt omnes Propositiones Identicæ: Nam, inter harum Terminos nullus intervenire potest *Medius*, cujus interpositione illi inter se uniri possunt; prout fit in his quæ *probatione* egent: Unde, istius generis sunt cunctæ illæ Propositiones quæ *Principia* absolutè *Prima* nuncupantur. Alterum *Evidentiæ* Genus est, quando Propositionis alicujus Termini non sunt quidem invicem Contrarii, ita ut Sensus eorum non habeat Fundamentum, seu sit Inconsistens, in eodem Ente; adeò nihilominùs in Sensu, seu quoad Notionem, Distantes sunt, ut Termino *Intermedio* relinquatur locus: indéque Conclusio, ex Con-

nexione *Medii* Termini cum dictis *Extremis*, licèt non sit *ex-se-Evidens*, absolutè nihilominùs tum *Certa*, tum *Evidens* evadit. Quæ quidem Theses tum *notissimæ* sunt omnibus quotquot in Logicâ versati fuerint, tum etiam in Supremâ Scientiâ, Metaphysicâ, *Demonstrabiles*. Unde vim habent vel ad Scepticos convincendos; nedùm ad Falsas quascunque Philosophiæ Hypotheses subruendas; modò ritè excultæ atque applicatæ fuerint. Hinc deduxi, *Hypotheticos* Philosophos qui nulla *Prima Principia* adferunt, nisi talia quæ non sunt *ex-se-Evidentia*, sed *Gratuitis Suppositionibus* nituntur, iisque Doctrinam suam superstruunt, *Philosophorum* nomine esse *Indignos*; nec quicquam hujusmodi Principiis extructum subsistere posse, nec *Philosophiæ* Titulo ornari debere, quantumcunque ingeniosis *Explicationibus* suffulciatur: Sed esse *Vanam*, *Futilem*, & Genuinam *Phantasiæ*, non *Rationis* Sobolem; neque unquam ad rigorosum Logices examen, aut Discursum Syllogisticum, *Lydium* utique omnis Ratiocinii *Lapidem*, reduci posse. Denique nè iniquus viderer, gravius aliorum humeris imponendo onus quàm mihi ab aliis imponendum vellem; Discursus meos, juxta hanc Methodum quam aliis proposueram, pro mediocritate meâ, compingere aggressus sum. Nec detrectavi quin, ubi *Demonstrare* me assero, alii eodem rigore Argumenta mea expenderent, quem ipse ab aliis exegissem.

Pupugit acriter Cartesianos nonnullos, qui *in verba Magistri sui jurêsse* videntur, quòd nimis rigidam hanc Methodum Hypothesi eorum applicuissem, eámque juxta Theses istas expendendam esse instituissem. Nam, non potuerunt sibi non esse conscii sè *nulla* Principia

statuere

ſtatuere valere, quæ, ſi ad Inflexilem iſtam Veritatis ſtabiliendæ Normam redigantur, cuivis Viro cordato ac Logices perito ſatisfacere poſſent. Conſcii erant ſe non rarò *gratis ſupponere* Principia ſua. Quod tamen ſi fecerint vel in *uno* aliquo quod Ædificium Doctrinæ ſuæ ſuſtentet, omnia ei innixa neceſſariò corruitura ſunt. Torſit verò eos quòd quiſquam eò audaciæ proceſſerit, ut non veritus ſit profiteri quòd rigoroſa *Demonſtratio* in Philoſophicis haberi poſſit; imò, quod ipſemet multoties Demonſtrârit; &, qualiquali Exemplo ſuo, Carteſianos ad idem præſtandum provocârit: Imò palàm declarârit, quòd niſi id fecerint, eos à *Verorum Philoſophorum* Dignitate atque Exiſtimatione meritò excidiſſe. Longè autem præ cæteris Amici mei D. *LeGrand* commovit (idque non immeritò) bilem tam Novum iſtud atque inexpectatum Scriptionis atque Oppoſitionis genus. Nam complures Libros elucubrando nonnihil Famæ comparaverat: Curioſitates quamplurimas adnotaverat diligenter: Elegantulè garrire ac tinnire didicerat. In *ſcribendo Latinè* non Indoctus erat; in *Tranſcribendo ex aliis* longè Doctiſſimus. Imò multa Philoſophica, laboriosâ temporis jacturâ, corraſerat è *Carteſio* ejúſque Aſſeclis, quibus legendis relegendíſque multas bonas horas, imò plurimos annos inaniter conſumpſerat. Haſce Notas, magnâ copiâ collectas, in Libros ſatis affabrè compegit, Mundóque edidit; *Populo* Philoſophorum *ut placerent quas feciſſet Fabulas*: Nam in Philoſophiâ *Fabula* habenda eſt quicquid *Solidis Principiis* non fundatur, & *Terminorum Connexione* non deducitur. At nihil interim vel novit, vel *ſummis* etiam *labris* deguſtavit, quod ad Nobiliſſimam illam Ratiocinandi Fa-

cultatem, quâ *Homines* ſumus, excolendam quoquo modo conferre potuit. Unde apud ipſum loqui de *ſtabiliendis Principiis*; *Qualia* debeat eſſe, ſcilicet, *ex-ſe-Evidentia*: Vel de Diſcurſibus ſuis *Connexâ Ratione* proſequendis, vel ad *Prima Principia* reducendis: Vel de *Immediatis* atque *Intrinſecis Mediis*, quæ ſola *Demonſtrationem* gignere poſſunt: Vel de quoquam quod ad Veram Logicam ac *concluſivè Ratiocinandi* Artem ſpectat: De his, inquam, & ſimilibus (uti ex Reſponſione meâ affatim patebit) apud ipſum differere, perinde erat atque ignotâ linguâ loqui. Non dubito tamen quin de iſtis omnibus *narrativè* audiverit, vel verba quibus concepta ſunt, legerit: ſed, quòd nequaquam penitiùs ea *intellexerit*; aut rationes unde vim habent, *penetraverit*; vel, quòd de iis *ad Praxim reducendis* ullatenùs *cogitaverit*; vel, ut quidquam hujuſmodi, dum Carteſiana ſcripſit, in mentem ipſius omninò venerit, tot teſtes adducere licebit quot ſunt in Libello iſto ſuo Paragraphi. Præcipuè verò *Terminorum Connexionem*, Monſtri horrendi inſtar, adeò abhominatur, ut ab illâ, utpote ſibi Cauſæque ſuæ Inimiciſſimâ, tanquam *Antipathiæ* cujuſdam inſtinctu territus, quàm longiſſimè poteſt, aufugiat; adeò ut nihil prorsùs quod *Veræ Connexionis* vel Umbram habeat, in Opuſculo iſto ſuo uſpiam occurrat.

Cùm itaque D. *Le Grand* (& Carteſiani, ut prætendit, nonnulli Londinenſes) malignam iſtam Philoſophandi rationem in *Methodo* meâ propagatam, & Doctrinæ Carteſianæ intentatam cerneret; quam Cauſæ ſuæ, cunctiſque quæ in Philoſophicis ſcripſerat, quæ neque ulla Principia habent, nec *Terminorum Connexionem* perferre poſſunt, exitialem fore prævidebat;

videbat; non mirum quòd fuerit vehementi irarum æſtu percitus & uſque ad rabiem excanduerit. Unde conjectare licet ipſum hæc vel hujuſmodi Verba ſecum tacitum ſubmuſſitaſſe. " Méne igitur integram ætatem, certè " maximam vitæ meæ partem, in *inanibus nugis*, Veritatis prorsùs vacuis, inſumpſiſſe; & " non niſi *Egregiam* ſcilicet *Laudem* illam reportâſſe quòd *Philoſophi* nomine *indignus* " ſim? Méne tantum laboris inſumpſiſſe *eliciendis Ideis* quotieſcunque Nervi alicujus " Tactu admonitus fuerim? Méne *Gloriolam*, " quam apud nonnullos Academicos, quos " ſpe Scientiæ ex Carteſii Methodo adipiſcendæ lactaveram, perdere oportere? Mé" ne Libros compluſculos, quos ad Doctri" nam Carteſianam ornandam ac tuendam " ſcripſi, tanquam Falſorum Dogmatum reos, " abdicare ac retractare? Méne Volumen in" gens, *Univerſam* Philoſophi mei *Doctrinam* " complectens, & tot Heroicis Inſignibus no" bilitatum, conculcari ab Ariſtotelæis, tan" quam Errorum farraginem, permittere?— " —*Pudet hæc opprobria nobis Vel dici potuiſſe*— " Non feram, non patiar, non ſinam." Sentiet J. S. qui vir ſiem. Et mox, arrepto calamo, atque accerſitâ in auxilium ſibi (uti olim *Juvenali* contigit) *Indignatione*, ad *Satyras* ſcribendas œſtro potentiſſimo, ad Nequiſſimum Adverſarium ſuum malè mulctandum ſe accinxit. Hæc eò deduxi, nè quis ſuſpicetur, D. *Le Grand* ſuopte Genio eſſe Immitem, aut ad Ruſticitatem proclivem: Nihil certè *Modeſtius* aut *Mitius* eſt Viro illo ingenioſo, quando *Argumenta* ſua vibrare ipſi *incumbit*. Imò, tantùm ab Inclementiâ illâ abeſt ut Adverſarium ſuum *Rationum* Pondere ac Numero *obruat*

ſternátve

ſternave, ut neque eum vel *feriat*; imo, (præquàm Convitiis) vix *tangat*: Tantum, inquam, abeſt ut quenquam Argumentis ſuis ſtringat vel ad Aſſenſum adigat, uti ſolet Inverecundiſſimum illud genus hominum qui *Demonſtrationes* intorquent; ut Diſcurſus quos adducit, Hiſtoriolæ cujuſdam aut Narratiunculæ Fabuloſæ inſtar, Phantaſiam Lectorum *leviter* ac *leniter* perſtringant; Intellectum verò in Nativâ ſuâ, ad *Aſſentiendum* vel *Repugnandum*, *Indifferentiâ*, pro *Urbanitate* ſuâ, *modeſtiſſimè* relinquant.

Cæterùm, miſſis Iracundi Adverſarii mei intemperiis atque Ineptiis, quid me deceat, & ad Lectorum Utilitatem ſpectet, proſequendum eſt. Decretum mihi erat, poſtquam Tractatum Metaphyſicum quem præ manibus habebam, abſolviſſem, Carteſianam Hypotheſin, in quantum ſanæ Philoſophiæ Principiis injuria erat, in juſto Libro oppugnare. Præripuit mihi (ne actum agerem) facultatem quod propoſueram ſcribendi importuna D. *Le Grand* reſpondendi neceſſitas; coegítque ut *Opus* illud pro *Opuſculo* iſthoc commutarem. In tres omninò partes diſpertitur Libellus cui reſpondere paro. In *Præfatione* Doctrinam meam Moréſque ſugillat. In *Diſſertatione*, Principia Carteſiana *de Ratione Cognoſcendi* ſuo modo *probare*, hoc eſt, *Explicare* ſatagit; nam iſtiuſmodi Philoſophis *Demonſtrationum* Defectum *Explicatiunculis* ſupplere ſolenne eſt. In *Appendice* denique *defendit* ſeſe ab his quæ in *Appendice* itidem meâ objeceram. His ut occurram, Tria in me ſuſcipio. Nempe, oſtendere quòd D. *Le Grand*, neque in his quæ *objicit*; neque in Carteſianâ *ratione Cognoſcendi ſtabiliendâ*; nec denique in *ſui Defenſionem*

fenſionem, vel unam aliquam Propoſitionem attuliſſe, quæ *ſanâ Ratione* ſeu *Terminorum Connexione* conſtet. Et, licèt Officii genus æſtimem Famam meam, ab obloquentis improbitate læſam, vindicare; dabo nihilominùs operam, quantum in me fuerit, ut, dum muneri illi minùs placituro, vel invitus, ſatisfaciam; eo tamen modo id exequi ut nonnihil tum Lectoribus *Commodi*, tum Veritati quoque *Lucis* acceſſurum ſit.

Denique quæ mihi *propono*, vobíſque *probata* dare non dubito, ſunt iſta; viz. Luce clariùs oſtendere quòd *Methodus Sciendi Carteſiana* nullis fundetur *Principiis*, imò quòd Principiis Intellectûs etiam *Primis*, fæpenumerò adverſetur. Quòd quamplurimis Demonſtrationibus Metaphyſicis, ſeu ab Altiſſimis Cauſis deductis, *Fatuitatis* convincatur. Quòd *Neceſſariam* Effectuum à Cauſis Sequelam, & ſapientiſſimum Mundi Ordinem, *diſtringat*; cujus loco, *Lacerum* ac *malè* ſibi hærentem *contextúmque* Naturæ Curſum, Deóque indignum, *introducat*; eâdémque operâ *Scientiam* omnem ex imis Fundamentis *eruat* atque *evertat*. Quòd omnes *Artificiales* Diſcurrendi Methodos *labefactet*, atque ad inanem Idearum Contemplationem cuncta *reducat*. Quòd, interim, ipſimet Carteſiani *neſciant* quidnam ſint *Ideæ* illæ quas unicè jactant ac venditant; & quibus *ſolis* intelligendis tempus ſuum impendunt & ſtudia ſua applicant. Quòd *Methodus* iſta Naturales Humani Generis Notiones *confundat*. Quòd Introverſio Mentis ad Ideas *Ignotas*, eáſque *ſolas* ſpeculandas, neglectis ipſis *Rebus*, ſit putus putus in Philoſophiâ *Fanaticiſmus*: Imò quòd ad *Enthuſiaſmum*, &, nonnunquam ad *Inſaniam* adigat; modò Sequaces

quaces *Methodi* iſtius (uti olim Carteſius fecit indéque Enthuſiaſmo correptus eſt) *exuere ſeipſos* tentent, ſibíque ſuadere malè ſani adlaborent cuncta eſſe *Falſa* aut *Dubia* quæcunque Bonitas Naturæ Rationalis, à Deo condita, per totum vitæ curriculum, Senſuum opè, mentibus Humani Generis *indidit* atque *inſevit*. Denique, quòd à *Terminorum Connexione*, in quâ ſolâ *Veritas* ſita eſt, *abhorreat*; Unde ad peſſimos in Philoſophiâ (indéque in Fide Chriſtianâ Explicandâ) Errores amplexandos *viam ſternat*. Hæc, ſi *Examine* meo *Secundo* ac *Tertio* evidentiſſimè evicta dedero, id ab Academicis Veritatis ac Scientiæ amantibus, me impetraturum ſpero, nè *ingenioſa* figmenta, Phantaſiæ adblandientia, pro *Principiis* Philoſophiæ, nimis faciles, admittant; ſed juxta veras notaſque Logices Normas ea cautè expendant; &, ex Regulâ illâ quæ fallere non poteſt [*Terminorum* ſcilicet *Connexione*] quæ propoſita ſunt metiantur; nec quicquam pro Principio admittendum exiſtiment, cujus Termini non ſint vel *ex ſeſe* (modò Prima fuerint) vel ex interventu *alicujus* Tertii, *Connexi*. *Demonſtrationes*, quæ *Concludunt rem ita eſſe*, non argutulas *Explicationes*, à Carteſianorum Coryphæis expoſcant: Quarum ſi vel *unam* adducere poterunt pro *ullâ* Theſi quæ Doctrinæ Carteſianæ *Fundamentali* eſt; vel, quæ, ſi ad Principia ſua reducatur, gratuitâ aliquâ *Suppoſitione*, loco *Principii ex-ſe-noti*, fundari non compertiſſimum ſit, non dico Cauſam quin ingenioſiſſimo Carteſio, ejuſque Sequacibus, Injurius habendus ſim. Interim, ipſe in me recipio quod neque id facturi ſint, at nec facere poſſint. Videtis, Viri Ornatiſſimi, quali

quali Candore ac Confidentiâ utar, quo debitum Philoſophiæ Officium præſtem; & quòd Veritatis *Deciſionem*, licèt forſan aliquam Immodeſtiæ Cenſuram ſubeam, quantum potero, provehere adnitar. Hæc ſiquidem unica eſt Via quâ cunctis innoteſcere poteſt, ex utrâ parte Veritas ſtet. Deprecor autem ut non de Carteſianis *quibuſcunque*, quæ in opuſculo iſto occurrunt, & fortaſſis minùs amica nonnullis videbuntur, intelligantur. Sunt ex illis, qui, ſolo *Veritatis amore* ducti, Carteſium legunt: non *jurant in verba* ipſius; ſed, ſi quid in eo reperiunt quod *Falſum* ſit, id repudiandum ac, datâ occaſione, oppugnandum cenſeant; unde de hujuſmodi Viris, ſinceritatis utique ſtudioſis, nec quidquam ſiniſtri dixi, neque metuo ab iis, nè in malum accipiant partem quòd ipſe Doctrinam, quæ mihi videtur Aphiloſophica, impugnem. Sunt autem alii qui adeò addictiſſimi ſunt *Philoſopho* (ut vocant) *ſuo*, ut *ægrè ferant*, imò *ferociant* & in *maledicentias* prorumpant, ſi quis libertate Scriptoris utatur in detegendo Errores in quos incidit Vir ille Magnus; licèt mores ipſius non dehoneſtet, ſed *Lapſus* in tradendo Placita ſua *vituperet*; ac, nè aliis noceant, corrigat, atque Ratione acriter impugnet. Iſtiuſmodi homines neque futuros mihi æquos expecto, neque (cùm eos *Factioni* non *Veritati* ſtudere videam) iſtorum aut ambio *Amicitiam*, aut etiam *Odium* illorum extimeſco. Teſtor Veritatem ipſam quòd quæ hic ſcribo non ex *Invidiâ* erga quenquam profecta ſint; (quis enim invidebit cuiquam *Inſcitiam* ſuam!) ſed ex ſincero *Veri* proſequendi ac promovendi *ſtudio*. Imò, ex animo opto,

opto, ut, *VIVAT VERITAS*; licèt à *Carteſio*, vel à *Malbranchio*, vel etiam (quod Miraculi inſtar haberet) à D. *Le Grand*, *Propoſita* ac *Probata*, *Diſpereat* & confundatur *Error*; ſive à *Digbæo*, vel *Albio*, vel etiam ab ipſo *Ariſtotele*, Aſſertus fuerit aut Propugnatus.

Profectûs Veſtri

in Veritate

ac Scientiâ

Studioſiſſimus,

J. S.

INDEX

INDEX
Examinis Primi.

1. NUllam D. LeGrand *datam convitiandi occasionem.*
2. *Virulentæ quas intorquet* Contumeliæ *recensentur.*
3. *Quo motivo ductus,* J. S. *Philosophica scripserit.*
4. *Veritatis defendendæ* Studium *non debet* Fastus *nominari.*
5. *Non relinquenda est* Veritatis Defensio, *eò quòd Erroris sequaces* Calumnientur & ferociant.
6. *Depellitur* Fastûs *Calumnia.*
7. Jus *habent Authores* Veterani *de iis qui eandem Artem profitentur,* Judicium ferre.
8. *Indignum est* Mathematicam *profitentibus, More* Oratorio (*seu* non-Mathematico) *doctrinam suam tradere.*
9. *Velle* Scientiam *comparare absque* Terminorum Connexione, *Stolidum est & Risu Dignum.*
10. *Cartesianos, licet* modestè loqui *affectent,* Factis *tamen suis, Scholas, imò omnes præter seipsos,* contemnere.
11. *Falsissima & Mendacissima D.* Le Grand *Calumnia.*
12. *Comparatio* Cartesii & Aristotelis.
13. Cartesium & Malbranchium *non ab* J. S. *sed à* Cartesianis; *imò, à D.* Le Grand, Fanaticismi *in Philosophia, &* Enthusiasmi *accusari.*
14. *Multos ex Lectione* Malbranchii *pænè ad* Insaniam *redactos.*
15. *Lepida de Malbranchiano quodam Historia.*
16. *Nihil Sinistri de* Cartesii *Sinceritate in Fide sensisse*

ſiſſe J. S. *ut D.* Le Grand, *leviter Suſpicatur.*

17. *Prima Inſtantia D.* Le Grand *ad Oſtendendum quod* J. S. *ſit in Logicâ imperitiſſimus.*

18. *Secunda Inſtantia retorquetur in ipſum D.* Le Grand, *et* Falſationis, Inſcitiæque *convincitur.*

19. *Enumerantur Errores, in quos incidit D.* Le Grand, *in Secundâ iſtâ Inſtantiâ objiciendâ.*

20. *Congeſta D.* Le Grand *apertiſſima* Mendacia, *dum* J. S. *omnes quoſcunque Authores* damnare *prætendit.*

21. *De Nequiſſimo, at ſimul lepidiſſimo Stratagemate ab* J. S. *Structo, ad Perſonam ipſam D.* Le Grand *quinque ſpiculis transfigendam.*

22. *Quomodò* J. S. *ſe geſſerit erga Eximium D.* Joannem Lockium.

23. *Agnoſcit* J. S. *candidè Errorem ſuum ſecùs intelligendo locum quendam in D.* Lockio.

24. *Comparatio* Lockaniæ *Philoſophiæ cum* Carteſianâ.

25. *Quam contradictoriè D.* Le Grand *ſua ipſius verba explicat.*

26. *Quot ac quibus artibus uſus ſit D.* Le Grand *ad Doctrinam meam confutandam.*

27. *Poſitio Carteſianorum quod Anima & Corpus in homine ſint* duæ Res, *malè quadrat cum doctrinâ Chriſtianâ de Incarnatione.*

28. *Poſitionem illam non eſſe Fidei Chriſtianæ Conſonam, ulteriùs demonſtratur.*

29. *Quomodò differat Demonſtrationes meas D.* Le Grand, *probantes Deum eſſe per modum Objecti in Animis Fidelium.*

30. *D.* Le Grand *ſuæ ipſius Doctrinæ neſcius eſt, vel oblitus.*

31. *Quibus artibus eludat Demonſtrationem meam quâ probatur Deum non eſſe* Immediatam *motûs Cauſam.*

32. *Objectionibus nonnullis admodùm frivolis reſpondetur.*

33. *D.* Le Grand *penitùs Ignarus eſt Doctrinæ quam impugnat.*

34. *Perperàm ab ipſo proponitur ſententia illa de* Inæqualitate Animarum, *& de Eſſentiali Individuorum Differentiâ.*

35. Pro-

35. *Probatur sententia illa Demonstratione* Physicâ.
36. *Probatur eadem Demonstratione* Metaphysicâ, *seu ex Altissimis Causis deductâ.*
37. Gradus *Inæqualitatis quæ diversas* Species *constituunt, debent esse* notabiles.
38. *Quibus Artibus usus sit D.* Le Grand *in respondendo Demonstrationibus meis. Angelum esse immutabilem post primum instantem ulteriùs demonstratur.*
39. *Nonnullæ* invidiosæ *Calumniæ quòd Deum oppugnem, solutæ ac retortæ.*
40. *Aliæ Objectiones futiles refutantur.*
41. *Quid, & quomodò,* Annihilatio *sit impossibilis.*
42. *Eadem sententia clariùs exponitur.*
43. *Quomodo Annihilatio, si* possibilis *sit, fieri possit.*
44. *Objectionum frivolarum farrago.*
45. *Aliæ Objectiones Phantasticæ diluuntur.*
46. *Quòd D.* Le Grand *existimet Scientiam consistere in Cognoscendo* multas *Res, &* nihil bene.
47. *Conclusio Generalis ex his ineptiis, & forsan ex totâ istâ Præfatione, deducta; nempè, quòd* J. S. *sit* in Deum impius.
48. *Monitio amica & Salutaris D.* Le Grand *exhibita.*

INDEX Examinis Secundi.

1. *VEL* Cartesius *Scientiam non habuit, vel omnes Philosophi à Mundo condito, omni prorsus Scientiâ fuerunt destituti.*
2. *Nostra* cognoscendi Ratio *a Cartesianis nunquam* impugnata *fuit, nedum* eversa; *& tamen non* agnita.

3. *Quas & quales Methodos* Sinistras *Cartesiani Methodo illi, quæ sola* vera *est, substituunt.*

4. *Et,* Logicam *Artem horrentes, ad* Rhetorculorum *astutias confugiunt.*

5. *Quid Authori propositum sit, quò â verâ ac certâ* Sciendi Regulâ *Transfugæ, ad eandem* reducat.

6. *Quo Sensu intellexerint Peripatetici Axioma illud* [*Nihil est in Intellectu quod non prius fuerit in Sensu.*]

7. *Parùm interesse* J. S. *quonam sensu alii illud intellexerint.*

8. *Doctrina Authoris de* Ratione Cognoscendi *Summatim exposita.*

9. *Quòd D.* Le Grand *secundam Mentis Operationem pro* primâ *imperitè acceperit.*

10. *Discursus ipsius hac in re ad* Categoricam *Propositionem, eámque absurdissimam, reductus.*

11. *Quàm absurdè* Cognitionem *definit.*

12. *Ratio cur* Cartesius *aliique Scriptores* malè definiunt *Notiones valdè Generales.*

13. Omnes *quas habemus Notiones definiri debent? præter notionem* Existentiæ.

14. *Vera ac genuina* Cognitionis *Definitio.*

15. *Plurimæ D.* Le Grand *Contradictiones enumerantur.*

16. *Quam perperàm dividat Cognitionem in tres Mentis Operationes.*

17. *Absurdissimum ipsius Paradoxum, scilicet,* Voluntatem *esse tum* Causam *tum* Judicem *Connexionis Terminorum, seu* Veri & Falsi.

18. *Definitio* Volitionis *quam exhibet, multis Nominibus absurdissima est.*

19. *Quàm firmo atque immobili Fundamento Aristotelæi* Connexionem Terminorum, *ac* Veritatem, *stabiliant.*

20. *Quo Fundamento Peripatetici* Ratiocinationem *extruant.*

21. *Contradictionum farrago, quæ ab hac malesanâ doctrinâ, quòd Voluntatis sit* judicare *de* Vero & Falso, *consequantur.*

22. Simplex Apprehensio *est omnium Mentis Operationum* Ignobilissima.

23. *Non*

23. *Non possumus per* eundem *Actum Conscii esse quod Cogitemus aut Cognoscamus.*

24. Fundamenta *Discursuum D.* Le Grand *ad* Categoricas *Propositiones reducta.*

25. *Quàm dolè confutat, Adversarii sui sententiam, colando illam. Brevis illius Explicatio.*

26. *Quam* Contradictoria *ac* Chimærica *sit* Ideæ *Natura, vel juxta D.* Le Grand.

27. *Paræneſis ad Academicos in Carteſianiſmum ſeductos.*

28. Chimæricas *eſſe* Ideas *Carteſianas ulteriùs demonſtratur.*

29. *Alia Effugia D.* Le Grand, *in Ideis ſuis explicandis, detegumtur.*

30. Diviſio *Ideæ ab ipſo allatæ, ad melius explicandum* Quid ſit, *quàm potuit ejuſdem* Definitio.

31. Primum *Cognoſcendi* Principium *à Carteſianis poſitum, non eſſe, ut oportebat,* ex-ſe-Evidens, *ſed* Omnino Obſcurum, *ac proinde* Nullum.

32. *Demonſtratur quod Carteſiani* nulla Principia *Cognoſcendi habeant; nec proinde* Philoſophi *habendi ſint.*

33. *Principium Primum Cognoſcendi Carteſianorum, eſſe etiam* Primis *Intellectûs Principiis* Contradictorium *demonſtratur.*

34. *Demonſtratio Prima.*

35. *Demonſtratio Secunda.*

36. *Demonſtratio Tertia.*

37. *Demonſtratio Quarta.*

38. *Demonſtratio Quinta.*

39. *Quo ſenſu Mens habet Potentiam aliquam* Paſſivam.

40. Occaſio, *quæ non eſt* Cauſa, *non poteſt determinare ad hanc vel illam Ideam eliciendam.*

41. *Demonſtratio Prima.*

42. *Demonſtratio Secunda.*

43. *Demonſtratio Tertia.*

44. *Inepte allegant Carteſiani* Beneplacitum Divinum *pro Causâ.*

45. *Probatur primò, quia* Ordinem *Cauſarum Secundarum* pervertit.

46. *Probatur ſecundò, ex eo quod omne* Scientiæ Fundamentum *tollat.*

47. *Probatur tertiò, quia Effectum plane* ridiculum *Divinæ Voluntati tribuit.*

48. *Quare, ſic Sentientes, eo quod Ordinem Cauſalitatis*

tollant, non possunt Philosophorum more Ratiocinari *aut* Argumentari.

49. *Quare, cùm sententia ista sit Cartesianis* Fundamentalis, *ingens Dedecus est, eam* Supponere, *& non* evidenter Demonstrare.

50. *Objectioni Cartesianorum validissimæ occurritur.*

51. *Summa Gestorum D.* Le Grand *hucusque.*

52. *Quibus* Erroribus, *& à Quæstionis statu* Prævaricationibus *D.* Le Grand *sternit viam ad ostendendum quòd omnes* Sensus *sint* Fallaces.

53. *Quomodò Natura ut* in re, *est* Causa *sui ipsius ut* in intellectu.

54. *Sufficit ad* Notiones *de Rebus acquirendas, cognoscere quòd nobis* obsint *vel* prosint.

55. *Etiam Operationes quæ videntur* purè Intellectuales *in Homine, ad* Suppositum *spectare.*

56. *Multiplex Calumnia D.* Le Grand *adversus Peripateticos depellitur ac retorquetur.*

57. *Status Quæstionis, quem se ignorare simulat, clarè expositus. Qui Sensus esse* Fallaces *asserunt, Primis, Intellectûs Principiis* contradicunt.

58. *De Errorûm Origine.*

59. *Nonnullæ frivolæ Dissertatorûm Objectiones diluuntur.*

60. *Nihil facilius quàm cognoscere utrùm* Vigiles *simus an* somniemus.

61. *Impium est asserere quòd non* æquè notum *sit Deum esse* Bonum *&* Veracem, *ac quòd sit* Potens.

62. *Quomodò Mens à* Notionibus Naturalibus, *quas ope* sensuum *habet, ad alia Cognoscenda progreditur.*

63. *Fundamentales Errores quæ Dissertatorem, hâc in re, devium agunt.*

64. *Quid sit juxta D.* Le Grand, Idea Dei.

65. *Quòd impugnet sententias quas nemo unquam asseruit, & præterit nostram quæ sola impugnanda erat.*

66. *Mens D.* Le Grand *dum elicit Ideam Dei* ex sese, *est, juxta sua ipsius verba,* Creator Dei.

67. *Quam gnaviter explicat S. Scripturam Cartesianæ Doctrina.*

68. *Non rectè infertur oportere ut Homo habeat* specialem

cialem Facultatem *eliciendi Ideam Dei, ex eo quòd ad Deum tanquam Principale sui Objectum feratur.*

69. *Assertio illa quod nulla Certitudo haberi possit, nè quidem de Veritatibus Mathematicis, absque Præcognitione* Ideæ Dei, *est perquàm Ridicula.*

70. *Nec Rudes Pagani, nec D.* Le Grand, *rectè intelligunt sensum Vocum quibus Attributa Dei exprimuntur; nec proinde habent veram Ideam Dei.*

71. *Permulti, imò nonnulli* Philosophi, *nullam de Sensu vocis* [Infiniti] *Notionem habent.*

72. *Cartesiana sententia adversatur sensui & verbis. SS.* Patrum, *asserentium Paganos esse* perductos ac Cognitionem Veri Dei.

73. *Modus, quo Notio* [Infiniti] *ac proinde conceptus seu* Idea Dei, *possit tum facillimè* acquiri *à nobis, tum aliis per Instructionem* communicari.

74. *Ostenditur gradatim quo modo Simplices Conceptus* connaturaliter *menti nostræ indantur; nec opus esse* præternaturali *ac male cohærente* Idearum Elicientiâ.

75. *Hoc evicto, reliqua omnia quæ ad Cognitionem spectant, modo* Congruo *peragi possunt* absque *Ideæ Elicitu.*

76. *Instantiæ quibus conatur ostendere Causarum Seriem esse* Interruptam, *refutantur. Animam esse* Tabulam Rasam *asserunt Cartesiani.*

77. *Conclusio à D.* Le Grand *multo labore* deducta, *semper fuit à nobis* concessa.

78. Methodus *Cartesii Expensa.*

79. Conclusio *Cartesii* Clarior *est quam erant* Præmissæ *è quibus eam deduxerat.*

80. *Quod* [*Cogito, ergo Sum*] *sit Primum Principium,* refellitur *ex ipsâ Cartesianorum* Cognoscendi Regulâ.

81. *Dilemmate Inextricabili utrinque constringitur Cartesius.*

82. *Contra* Logicam *peccat Cartesius dum statuit* Primum *suum* Principium.

83. *Ratio unde judicat D.* Le Grand Res esse Distinctas

ſtinctas, *Frivola eſt; & Demonſtrationibus Evidentiſſimis Confutata.*

84. *Imperitè aſſignat Deo, quid poſſit facere.*

85. *Maximè* Fallacem *eſſe Carteſianorum* Regulam.

86. *Carteſiani tenentur ſuam Cognoſcendi Regulam tanquam Fallacem* abdicare; *vel agnoſcere* Methodum *Carteſii ad Primum ſuum Principium Stabiliendum fuiſſe* Falſam & Ridiculam.

87. *Carteſiani non poſſunt Satisfacere* aliis *ſe Claram & Diſtinctam Cognitionem habere.*

88. *Unde accidit quòd Ingenioſiſſimus Vir,* Renatus Carteſius, *in Methodum iſtam* Abſurdiſſimam *ſeductus fuerit.*

89. *De Origine* Claræ & Diſtinctæ *Cognitionis juxta D.* Le Grand.

90. *Deus Actiones Creaturarum Proprias, non* Immediatè *per ſeipſum ſupplet.*

91. Veritas & Certitudo *Judicii, ſuper* Rebus *ipſis, & non ſuper* Modo *noſtro* concipiendi *fundatur.*

92. *Confundit D.* Le Grand *Finem cum Medio.*

93. *Demonſtrare debet* unde *Claram iſtam ac Diſtinctam Cognitionem* habuerit.

94. *Qualis ſit* vera *Cognoſcendi* Regula.

95. Cognitionis *ſeu Scientiæ noſtræ* Regula *eſt* perſe-notiſſima & Clariſſima *illa Evidentia, quæ in* ex-ſe-Connexis *Propoſitionibus, ſeu* Primis Principiis *fulget.*

96. *Genuinus hujuſce Regulæ Character.*

INDEX Examinis Tertii.

1. *UNde ortum habuit Controverſia illa de* Mutatione Formali.

2. *Quæſtionis Status propo-nitur.*

3. *Quanti*

3. *Quanti interſit Formalem Mutationem agneſcere.*

4. *Quòd D.* Le Grand *ſingulis pænè Verbis, quæ ad Quæſtionem illam ſpectant, abuſus ſit.*

5. *Nempe* [Intrinſecum, Formale, Generatio.]

6 *Necnon* [Ens] & [Unum.]

7. *Atque etiam* [Simplex] & [Compoſitum.]

8. *Explicare neſcit quo genere* Compoſitionis Entia *illa* Actualia, *quæ, juxta ipſum, in* Unum Ens *coaleſcunt, componantur.*

9. *Demonſtratur ex Definitione* Entis, *quod* Duo Entia actu *non poſſint* Unum Ens actu, *in ullo Compoſitionis Genere,* componere.

10. *Idem demonſtratur ex eo quòd unumquodque ex Entibus (ut vocat)* Simplicibus, *erat* Completè [Ens] & [Unum] *ante Compoſitionem.*

11. *Principia* Noſtra *Naturalia nihil omninò gratis ſupponunt; ſed ſunt vel* Per-ſe-nota, *vel evidentiſſimè* Demonſtrabilia.

12. *Abutitur D.* Le Grand *vocibus* [Diviſibilitas] & [Phyſica.]

13. *Multipliciter etiam abutitur voce* [Materia.]

14. *Quàm inepti Carteſiani ponant* Materiam *ſuam* Exiſtere, & *tamen neque eſſe* Raram, *nec non-Raram, ſeu* Denſam; *neque* Duram, *nec non-Duram, ſeu* Mollem.

15. *Dum Carteſiani abutuntur notionibus* Raritatis & Denſitatis, *totam Naturam pervertunt & totum Mundum non niſi* Unum Ens *eſſentialiter ſtatuunt.*

16. Stabilire *doctrinam aliquam firmiſſimis Principiis,* prævenit *Objectiones,* & ſolida *eſt* confutandi *via.*

17. *Probat D.* Le Grand *Principia Carteſiana non eſſe* Suppoſitiones, *hoc & illud* interrogando.

18. *Quàm perperam ponit* Converſionem, *abſque* Termino à quo & Termino ad quem.

19. *Defendit Carteſium à* ſupponendo *Principia ſua,* enumerando *Principia quæ* ſuppoſuit.

20. *Quam ſolidè purgat ſe à* Contradictionibus *incidendo in* alias *longè* pejores.

21. *Quam*

21. *Quam* lepidè *explicat* [Applicationem] *quæ manifestè* Extrinseca *est; per* Figuram & Motum, *quæ* Intrinseca *sunt Subjectis suis.*

22. *Aliæ Objectiones futiles refelluntur.*

Menda Emendanda.

PAg. 4. lin. 4. *perfusus.* l. 30. *habere.* p. 11. l. 1. *maturitate.* p. 13. l. 3. *inidoneum.* p. 14. l. 36. *indiscriminatim.* p. 16. l. 26. *si quis.* p. 21. l. penult. *aliquem.* p. 24. l. 12. *Objectore.* p. 25. l. 15. *testatum.* l. 31. *ac pervertendum.* p. 27. l. 5. adinvenias. p. 29. l. 23 *hypothesin sustentare.* p. 31. l 32. *præcipitantiam.* p. 32. l. 14 *evectum.* p. 34. l. 11. *eum.* p 41. l 36. *Divinitas traditæ.* p. 42 l. 26. *applicui.* l. 27. *afferrem.* l. 28. *meo secundo.*) p. 43. l. 1. *meas.* l. 30. *sermoni.* p. 44 l 15. *uniretur.* p. 50. l. 26. *garris.* l. 27. *spectant.* p. 51. l. 12. *stupidos.* p. 60. l. 31. *ac nihil.* p. 61. l. 17. *Philosophos.* p. 73. l. 9. *quo me.* p. 81. l. 12. *impugnaturos.* p. 82. l. 17. *proram.* p. 84. l 22. *Demonstrationem.* l. 24. *tamen.* p. 86. l. 27. *meo.* p. 88. l 13. *instructas.* p. 93. l. 23. *autem quod.* p 94. l. 27. *sit.* p. 98. l. 30. *quorum.* p. 99. l. 11. *Grandianam.* p. 105. l. 13. *distinguitur judicium.* p. 107. l. 9. *ita esse.* p. 112. l. 14. *Propositiones illæ.* l 18. *sit,* dele *non.* p. 118. l. 21. *Connexione.* p. 122. l. 13. *indifferentem.* p. 125. l. 1. *divertit.* p. 133. l 32. *individuatur.* p. 135. l. 19. *eundem.* p. 145. l. 31. *ne perforet.* p. 149. l. 26. *Dicendorum.* p. 157. l. 35. *Technæ.* p. 160. l. ult. *secùs.* p. 161. l. 12. *vel illo Principio Primo.* p. 164. l. 21. *Anti-Cartesiani.* p. 166. l. 1. *habere.* p. 168. l 25. *illæ.* p. 171. l 30. *tum dedecus.* p. 178. l. 9. *infinite Bonum, Sapientem, &c.* p 183. l. 18. *est de.* p. 209. l. 27. *distinctam.* p. 210. l. 14 *quodam.* p. 214. l. 24. *nam quis.* p. 215. l. 33. *conjungendas.* l. 13 dele *non.* p. 223. l. 11. *non procedere ab.* p. 226. l. 19. *Ente.* p. 236. l. 5. *Epicurum sequuntur.* p. 244. l. 24. *prorius, &c.* p. 250. l 3. *omnes.* p. 256 l. 5. *Succedoneam.*

Pag. 29. lin. 23. dele *non.* p. 37. l. 18. *dicteriis tuis.* p. 41. l. 10. *duo.* p. 60. l. ult. *fieri posse.* p. 125. l. 22 *reddere Quid.* p. 149. l. 7. *à D.* Præf. p. 6. l. 4. *debeant.*

IDEÆ

IDEÆ CARTESIANÆ AD LYDIUM Veritatis LAPIDEM (*Terminorum* ſcilicet *Connexionem*) EXAMINATÆ.

EXAMEN Primum.

Immiſſos à D. Le Grand *aculeatos Calumniarum* Crabrones, *& obtuſos Sophiſmatum* Scarabæos, *abigens.*

1. BIennium & amplius, Amice mi, jam efluxit, ex quo mihi narratum eſt, te ad *Methodum* meam, in quantum Hypotheſi Carteſianæ oppoſita erat, confutandam temet accinxiſſe. Gratulabar mihi quòd Adverſarium adeò ingenioſum & Schematis illius ſcientem, ſors mihi obtulerat. Integri anni expectatione fruſtratâ, accepi te a cœpto deſtitiſſe: Forſan eo prætextu uſus es, eò quòd lambendo catulo tuo, nimis rudi & cœco, ſeſquiannus adhuc neceſſarius erat. Tandem prodiit Libellus tuus, at (proh Deum) qualis! Sperabam te magis excoctâ quàm alii hactenùs Ratione Cauſæ Philoſophi tui patrocinaturum: At nec abnuebam

Nullam D. *LeGrand* datam convitiandi occaſionem.

nuebam quin Argumenta & Doctrinam meam pro virili tuo everteres; &, ubi id feciſſes, cum quodam etiam ſale, confidentiam meam, pro meritis, perſtringeres. Ne verbum quidem in libris meis repertum eſt quòd *Perſonæ* vel *Moribus* tuis *Dedecoroſum* erat aut *Injurium*. Quater tantùm, ſi benè memini, nominis tui mentionem feci; ſemel in Præfatione *Methodi* meæ, ter in ejuſdem Appendice. In horum locorum uno laudavi *Ingenium* tuum; in nullo quidquam ſiniſtri de te dixi, præterquàm quòd malam Philoſophiam ſecutus, in errores nonnullos incideris; quos quidem notandi ac confutandi quilibet Author Polemicus jus habet: imò, niſi id fecerit, nequaquam cenſendus eſt officio ſuo feciſſe ſatis, aut Veritati, quam defendendam ſuſceperat, ſatis eſſe Fidelis. Nihil, inquam, quod Inurbanum erat de te dixi. Tu è contrà, totus in eo es, & vires tuas penitùs exeris, non ut *Argumentis* meis *reſpondeas*, ut virum ingenuum decet (nam rariſſimè ea *tangis*, nedum *confutas*) ſed ut Dedecus *Perſonæ* meæ *inuras*, & innumeris occaſionibus, non à Quæſtionis inter nos agitatæ indole ſponte oblatis, ſed undique conquiſitis detortiſque, invidiam contra me concites. De Rebus ipſis poſtmodùm dicetur; impræſentiarum de Convitiis ac Maledicentiis tuis agendum eſt.

Virulentæ quas intorquet Contumeliæ recenſentur.

2. Non admodùm me commovet quòd me *Somniatorem*, *Delirum*, virum *petulanti ingenio* & *Judicio pravo*, *fronte non ſatis honeſtâ* (licet hæ ultimæ contumeliæ ad *Mores* ſpectent) vel quod in Philoſophicis me eſſe *Aſinum ad Lyram*, *talpâ cæciorem*, *Calumniatorem*, &c. more tuo depinxeris; licèt nemo mortalium præter te quicquam hujuſmodi de me ſenſerit; nec Adverſariorum meorum vel lividiſſimus mihi talia unquam objecerit. Hæc, inquam, & horum ſimilia, animi tui morbo facilè condono: Mitiſſimi quippe ingenii ſunt con-

contumeliæ iſtæ præ aliis quæ commemorandæ reſtant. Nam, ipſo Libri tui Titulo, pari verborum tenore me *Divini Numinis*, ac Philoſophorum quos nominas, Adverſarium eſſe proclamas; imò (quod longè magis Impium) *ipſum Deum adoriri*. Quæ intemperiæ te agunt, amice mi, ut contra Charitatis Mandatum & Chriſti Legem, Proximum tuum, Impietatis alicujus nunquam à quoquam notatum, Nequitiæ Luciferianæ arguere auſus ſis! Verùm, non hîc ſe ſiſtit tua calumniandi rabies. Nam (p. 35.) me *Oſorem Ideæ Dei* (hòc eſt, juxta tuam *Ideæ* Definitionem *Diſſert.* p. 18.) *ipſius Dei*; & (p. 38.) *in Deum me eſſe Impium*, abſolutè & ſine tuo [*ſi non*] (quibus verbis famæ *tuæ* non *meæ* conſulens bis uſus es) aſſeruiſti: Pergis, furibundi more, & p. 24. in dubium vocas an *Deum agnoſcam*; hoc eſt an *Atheus* ſim. Imò ibid. me *in Cœlum ſpuere* aſſeris, Jam *ſpuere in aliquem*, non modò maximi Contemptûs, ſed ſummæ etiam *Deteſtationis* ſignum eſt; quod non modò *Impium* eſt, ſed, (ſi fieri poſſit) *pluſquam Diabolicum*. Nec ſufficit Immenſæ malevolentiæ tuæ ut, ob impugnationem Idearum tuarum, flagitioſorum nequiſſimus audiam; ſed, cavens nè mihi deinceps ullus Pœnitentiæ locus relictus ſit, me etiam (p. 23.) *in Spiritum Sanctum* eſſe *Blaſphemum* innuis; quò, ultra omnem Remiſſionis ſpem, crimina mea *neque in hoc mundo, neque in futuro* condonanda ſint, ſed in Gehennâ æternùm puniantur. Scilicèt iſthuc eſt ſapere! Quis etenim in poſterum contra Carteſium, & Ideas ipſius, vel hiſcere aut muſſare audebit; ſi idcircò *adoriri Deum ipſum*, *Impium* eſſe in *Divinum Numen*, *odiſſe Deum*, *ſpuere in Cœlum*, & *blaſphemare in Spiritum Sanctum* cenſendus ſit, & inextinguibilibus in Inferno Flammis facinus tam immane luiturus! Hæc námque omnia inde mihi competere reputas quòd Carteſianam Hypothe-

ſin relinquens & alienam ſecutus, in tot ac tanta facinora inciderim. Cave ſis, mi Amice, te oro obteſtorque, ne *felle amaritudinis*, quo totus perfuſus es, ſuaviſſimum Charitatis *Ignem* & Spiritûs Sancti Motus in te non *extinguas*. Si Proximum ac Amicum tuum contumeliis ac calumniis proſcindere atque obruere decretum tibi erat, ſaltem Veriſimilia objicere debuiſti; & quæ exulceratum animum tuum atque Impotentem Iracundiam tegere, & non palàm prodere apta eſſent, Certè notior ſum ipſe quàm ut Probra tam Immania, ſi mens tua non fuiſſet læva, famiæ meæ adhæſura, ſperare potueris.

Quo Motivo ductus, J. S. Philoſophica ſcripſerit.

3. Atat, Immodeſtum me criminaris, & cum Faſtu inaudito omnes præter meipſum mortales, *ſpernere*, *contemnere*, *damnare*, *imperiosè* Academiis *dictare*, &c. Quæ fides tibi narranti habenda ſit, dicetur poſteà. Et, licèt, ubi deferbuerat tuus debacchandi æſtus, me *ſuaviſſimis eſſe moribus* faſſus ſis, me tamen vel ipſo Lucifero in Superbiâ æqualem *alibi*, imò *ubique* aliàs depinxiſti. Ad Calumniam iſtam depellendam, aliqualem vitæ meæ nuper tranſactæ rationem Lectoribus reddendam video. Licèt ſtudiis Philoſophiæ, Logices, præſertim & Metaphyſices, jamdiu inſenuiſſem, & Diſcipulos multos etiam magni nominis, prout res tulit, habuiſſem, nullum tamen unquam de hiſce edidi Librum, quò oſtentarem me aliquam omninò in hiſce ſtudiis habere Scientiam. Enimverò metuebam Ætatis noſtræ Genium ad Scepticiſmum valdè proclivem, nec ulli *Methodo*, certò ad Scientiam ducenti, addictum. Videbam, ſi ſcribere vellem, multa eſſe mihi corrigenda, multa tanquam inutilia reſecanda; plurima etiam, quæ nova & paradoxa videri poterant, addenda. Pervidebam novas Philoſophiæ Hypotheſes invectas, nullis Principiis evidentibus fundatas; paſſim nihilominus ſparſas,

ſas, &, præ Scholaſticarum rixarum tædio, multis etiam magni nominis Viris acceptatiſſimas. Audiveram, (quod in proverbio eſt,) quòd, *qui Veritatem nimis propè ad calces ſequitur, fore ut dentes ipſi elidantur.* Porrò timebam me imparem fore debitum Veritati præſtare officium; cum evidens mihi fuerit, quòd ſi iſtud facere vellem, neceſſe eſſet ut tot ac tantos Viros pro Adverſariis haberem. Denique cernebam, ſi muneri iſti ritè, & ut oportet, proſequendo Fidelis eſſe vellem, Cenſuram Faſtûs, à tot Crabronibus ſic irritatis, mihi inurendam; quod & in Præfationibus meis non ſemel prædixi: Quare, decretum mihi erat cogitata mea, quæ diutinâ multorum annorum ſpeculatione collegeram, ac in mentis meæ penu repoſueram, ſilentio premere ac ſepelire; ſatius ducens extremam vitæ meæ partem otio ignobili tranſigere, quàm tot Philoſophorum turmis bellum quaſi indicere. Me ſic feriatum, & de ſcribendo Philoſophica nè quidem ſomniantem, inviſit D. *Joſephus Baſſettus*, Vir in multifariâ lîteraturâ verſatus, &, ut præ ſe tulit (erat enim Carteſianæ doctrinæ addictior) mei ſtudioſiſſimus. Idem, circa id tempus, à me petierunt unus aut alter, Viri Clariſſimi ac Doctiſſimi. Hi, inquam, junctis precibus, me rogabant, ut, jam ſenectute provectus, aliquid tandem aliquando in Rei Philoſophicæ commodum conferrem; neque maturiorem vitæ meæ partem otio nemini profuturo tranſigerem. Horum rogatu permotus, de ſcribendo tunc primùm cogitare cœpi; præſertim, cum illis ſe adjunxiſſent ſeptem vel octo alii magno ingenio Viri. Et, cernens præcipuam tam parvi in Scientiâ profectûs Cauſam inde proveniſſe, quòd nulla ad eam acquirendam *Methodus* Certa ſtabilita fuerit, idcircò decrevi Logicam aliqualem texere ac Ratione firmare

quam [*Methodus ad Scientiam ducens*] nominavi. Convenêrunt ſtato die hebdomadatim in cubiculo meo Viri illi; unde & Diviſiones Operis illius *Lectiones* appellavi. In cœtu iſto liberum erat cuivis Objectiones, ſi quas habuit, opponere; (non enim is ſum ut quenquam *in verba mea jurare* aut etiam iis aſſentiri ultra quod Ratio ſuaſerit, unquam ambiverim;) &, quantum perſpectum mihi fuit, omnibus ferè, & in omnibus ſatisfactum eſt. Poſtquàm me, nè quidem cogitantem, quodammodò viſa eſt Providentia ad Spartam hanc exornandam vocâſſe, ſtatui mecum Veritatem, pro virili, *per infamiam & bonam famam*, indeflexè & conſtanter proſequi; &, fretus Victrice Veritatis robore, Doctrinas quaſcunque, quas Scientiæ promovendæ officere viderem, quantum in me erat, de Gradu atque Exiſtimatione quam nactæ fuerant & injuſtè poſſidebant, deturbare: parùm ſollicitus, Quot aut Quantos Authores ac Fautores Error haberet. Ad hoc audendum, præter alia, addiderat mihi animos, quòd obſervârim neminem eorum, quos futuros mihi Adverſarios prævidi, ad *Exactam Terminorum Connexionem* Hypotheſes ſuas reducere ſategiſſe, vel etiam de tali Methodo ſomniâſſe; *in quâ* tamen ſolâ, Veritas invenienda, *à quâ* Evidentia omnis petenda eſt; & *juxta quam* Rationes atque Argumenta tum mea, tum aliena, examuſſim pro modulo meo expendere mihi propoſueram.

Veritatis defendendæ ſtudium non debet *Faſtus* nominari.

4. Vides jam, amice mi, neque Faſtum aut Famæ pruritum dediſſe mihi ſcribendi occaſionem, neque *modum ſcribendi* mihi dictâſſe; licèt tu (quâ polles temerariò judicandi & penetralia cordis perſpiciendi facultate) nihil in ſcriptis meis vides quod purum putum *Faſtum* non ſpiret. Hîc quæſo abs te, an tu aliter ſcripturus

eràs,

eras, modò perſuaſum tibi eſſet Authores contra quos ſcribis eſſe *Erroris Patronos?* An eos permiſſurus eſſes etiamnum in Scholis Dominium ſuum exercere, etiamſi videres ingentem Virorum ingenioſorum turbam in malè ſanos, etiam contra Prima Humani Intellectûs Principia, Errores, eorum præſtigiis abreptam. Si iſtud profitearis, declaras palàm te plauſui atque amicitiæ hominum pernicioſorum ſtudere; Veritatis verò *Hoſtem & Traditorem* eſſe peſſimum, & non, ut oportet, *Patronum*; ſperans fortaſſe (ut fit) te viciſſim ab illis laudem aliqualem, ob *Modeſtam* tuam *Simulationem*, & proditam Veritatis cauſam, reportaturum. Novi equidem quòd, in Converſatione illâ Civili vel Idioticâ, inter Nobiles vel liberaliter educatos, formulæ loquendi nimiùm quàm Urbanæ (*Complementa* a noſtratibus dicta) quibus forſan nè verbum quidem Veritatis ſubeſt, uſurpari ſoleant: At nunquam audivi, nec fas eſſe duco, ut inter Philoſophos, quorum eſt officium rigidè *Veritatem* proſequi, séque illius Aſſertores profiteri, adulatorii illi loquendi modi adhiberi debeant: *Categoricè* exprimendi ſunt aliorum Errores, proprióque ſinguli charactere inurendi; imò acriter confutandi ac perſtringendi ſunt: At nec eſt ut quiſquam veritatis amator eâ de cauſâ ſuccenſeat; dummodò à Moribus cujuſquam inſectandis abſtineatur; Nam ſi *Falſa* ſunt quæ tantâ fiduciâ aſſeruntur, uberior exinde & facilior Veritati victoria, & magis ignominioſum Adverſario ipſius illinetur dedecus; quo ſanè nihil optatius Veritatis Aſſertori accidere poteſt. Sin *Vera* fuerint, magis inde excitabitur is qui Erroris tenax eſt ad dicta confutanda; &, ſi non poſſit, ad Verum agnoſcendum; quod, ſibi maximo in lucro deputare debebit; eo quod, modo Sincerus ſit, vel invitus, ad Verum videndum exinde permovebitur.

Non relinquenda eſt veritatis Defenſio, eò quòd Erroris ſequaces calumnientur & ferociant.

5. Cæterùm quod caput eſt, tum ſatis expoſui in Præfationibus meis me *expectare* & *prævidiſſe* Faſtum hoc nomine mihi irrogandum; tum in illâ quæ *Solidæ Philoſophiæ Aſſertæ* præfigitur, Apologiâ ſatis largâ, nempe à §. 8. ad 14. hujuſmodi notam, mihi injuſtè inurendam, à me amoverim; imò oſtendi perutilem, imò neceſſarium eſſe confidentem illum differendi modum, modò Veritati conſulere velim. Quæ tamen omnia tu, pro candore tuo, celas ac ſupprimis. Scilicet, id quod mihimet objeceram tu denuò objicis, & in locis, ut opinor, pluſquàm centum eandem cantilenam tibi mirè placentem canis; atque illud quod erga Veritatem *Officium* eſt, tu *Faſtum*, *Superbiam*, *Contemptum* aliorum vocas: Etſi, dum mihi vitio vertis quòd nulli ex Philoſophorum Coryphæis *parcendam* judicem ſi ipſos Veritatis Adverſarios eſſe mihi conſtiterit, nimiùm prodas Genium tuum nequaquam eſſe Veritatis amantem; ſed Plauſum hominum, licèt turpiſſimos Errores ſpargentium, captare, vel Factioni Carteſianæ te impenſiùs commendare. Vivas, valeas, mi Amice, ac Laudibus perfruaris Aſſentatione tuâ dignis: Ne dubites quin omnibus placiturus ſis, etiam Atheis, dum *modeſtiſſimè* te geris ubi de *Veritate* agitur; & talia affers argumenta quæ nemini eorum noxia, vel Erroribus quos tuentur confutandis, atque ex imo fundamento evertendis apta ſunt. Dum ita te geris ſecurus es ab oppoſitione; nèc ullos hoſtes habebis dummodò Erroris Anteſignanos ad Principia ac Terminorum Connexionem non provoces, ſed *mitiſſimè* ac *humillimè* quiſquilias tuas proponas; quas, ſi ſapiunt, benè nôrunt nulli mortalium nocituras eſſe: Ego certè nolo committere ut Encomia cujuſquam tam carò emam, vel ut Veritatis Defenſionem articulato Laudis aeri poſthabeam. Præſertim cum mihi compertiſſimum

pertiſſimum ſit *Falſam*, Vanam & Aeream Philoſophiam, *Chriſtianiſmo*, tum in Speculativis, tum in Practicis, plurimùm obeſſe; *Veram* è contra ac Solidam, eſſe optimam Fidei Revelatæ Famulam; eíque tum explicandæ, tum incredulis commendandæ nimiùm quantum conferre.

Depellitur Faſtûs Calumnia

6. Unde itaque, Vir Secretorum Cordis penetrantiſſime, tibi innotuit quòd ex Faſtu procedat quòd cum confidentiâ, Scepticis & Carteſianis inſolitâ, me geram? Certè Præfationis tuæ §. 45. ubi deferbuerat (ut dixi) tuus debacchandi æſtus, me *ſuaviſſimis* eſſe *moribus* faſſus es. Unde itaque, vel quâ *Viſione* & *Revelatione* (ut Carteſio tuo accidit) id tibi conſtat? Neque uſquam proprium meipſius Ingenium aut animi dotes laudavi, neque aliorum ingeniis prætuli. Methodum quidem quam ſequor valdè laudavi; at nunquam dixi eam eſſe *meam*, ſeu *mihi peculiarem*; eſt ſiquidem doctis omnibus Notiſſima, licèt a paucis, ut oportet, obſervata. Eſtne certum Faſtûs Indicium quod aſſeram me Methodum illam à plurimis aliis, præſertim Logicis, neglectam ſequi? Res ipſa clamat: Quotuſquiſque enim eſt, (pauciſſimos ſi excipias, qui Ariſtotelæi ſunt) qui arctâ Terminorum connexione diſcurſus ſuos ſtringat, aut ſequelis catenatim junctis compaginat! quod tamen me in *Methodo* meâ pro modulo meo factitare in propatulo eſt. Num me Sectæ alicujus novæ Authorem profiteor, uti fecit *Carteſius*; aut etiam ullius Sequacem rigidum, ita ut omnibus aliis qui acriter eam impugnant, amentis more, invehor? Nihil minus. *Ariſtotelem* in præcipuis ipſius Principiis ſequor quidem; at nec in ipſius, nec cujuſquam verba jurare didici; nec cuiquam iraſcor quôd Ariſtotelem, Albium, Digbæum confutet ac perſtringat. *Currat Lex Scholarum*, Ratione non Paſſione res agatur; &

is qui Principiis & Conſequentiis Evidentibus magis pollet, palmam auferat, & invictus Veritatis Athleta audiat. Obſervaverat dudùm Methodum iſtam D. *Albius* in *Euclide* ſuo *Phyſico* & *Metaphyſico*: Magnis Viri illius Doctiſſimi auſis, ego ſuppar aliquid tentare inſtitui, & Logicam Demonſtrativam texere. Hæc, licèt cunctis veræ Scientiæ Candidatis utiliſſima, atque (uti expertus ſum) acceptatiſſima ſit, Tibi tamen tuíſque maximè diſplicet. Nec immeritò; Probè ſiquidem nôſtis Principia Veſtra, ſi illa ad Terminorum Connexionem reducere quis velit, & juxta veræ Logices Regulas expendere, futiliſſima & Veritatis prorſus Vacua eſſe apparitura. Unde in *Dedicatoriâ* Philoſophum tuum hoc encomio ornâſti, quod Ædificium Doctrinæ ipſius *cum quodam lepore* ſibi conſentiat. *Lepidum* ſanè eſſe Carteſii Principia ſua tradendi modum, imò (quod amplius eſt) etiam *Ingenioſum* nemo inficias ibit; elegantulo enim & terete, atque inoffenſo verborum, coherentiam aliqualem ſimulantium, tenore fluit; & Phantaſiæ deliniendæ ac perplacendæ mirè accommodatus eſt: Quod ſi ad infractilem Veritatis firmandæ Normam (*Terminorem* ſcilicet *Connexionem*) expendatur, lacerus, araneoſus, vel potiùs *Nullus* planè apparebit, ut infrà demonſtrabitur.

Jus habent Authores Veterani de aliis, qui eandem Artem profitentur, Judicium ferre.

7. Cæterùm, id validè objicis, quod liberiùs de aliis Logicis Cenſuram feram. Quidni amice mi, homini jam pænè Octogenario, cui (miro Dei beneficiò) Memoria, Phantaſia ac Judicium æquè vigeant ac ſi non niſi Quadragenarius eſſem, (quod dico eò quòd me *Delirare* non ſemel afferas:) Qui Logicam, abhinc quadraginta ſex annis publicè docuit; qui dum Junior erat, Magiſtros magni nominis, imò nonnullos vel *Carteſio* tuo longè doctiores habuit: Qui, poſt id tempus non ſemel Diſcipulos acumine ingenii

genii & Judicii maturitate, vel temet multis parasangis superiores erant; qui à Juventute suâ cum doctissimis omni Eruditionis genere Viris, tum Nostratibus, tum Exteris, versatus est, & amicitiam cum iis coluit: Quidnam, inquam, impedit quò minùs iste talis, modo Veritati patrocinetur, etiam *Cartesio* tuo confutando non sit par? Saltem quid impedit quo minùs ejusmodi homini liceat de aliis Scriptoribus Logicis *Judicium ferre?* Annon solenne est ut quilibet Authores, præsertim si Veterani sint, in his quæ ad Artem suam spectant, Criticam proferant sententiam? Num idcircò *mihi uni* id non licebit quod *omnibus*, datâ occasione, licitum semper fuit, eò quòd tu rabulêris, & livore occæcatus, licentiam mihi jure meo utendi concedere nolis? At quid, obsecro, est quod Logicis quos nominas objiciam, & in scriptis eorum desiderem? Debitam ipsis laudem tribuo; quod autem Regulas Logicas siccè (ut aiunt) & crassè tradant, non autem *probent*, non licet mihi hoc nomine illorum quenquam (si Veritati studeam) laude prosequi. Tu, qui Candorem ejurâsse vidêris, pro more tuo nihil distinguis. Confusè concipis, confusè objicis. Insunt quidem Logicis quas enumeras suæ utilitates; præsertim tyronibus non inutiles sunt. Elementa dant omnes, & Vocum Artificialium aliqualem Cognitionem: Multas Regulas statuunt, eásque utplurimùm Veras: At, posse quenquam Demonstrandi artis fieri compotem (quod unum Philosopho dignum est) ex Regulis *dictis*, non *probatis*; in *Memoriâ* solùm Retentis non *Menti* per *Rationem* infixis, id verò pernego.

8. Vides hîc, Amice mi, quid tibi faciendum sit, modò (ut Charitatis ratio postulat) salutare ad Fastum meum curandum applicare cupias Remedium. Nempe, Principia *Cartesii* Philosophica, specialiter

Indignum est Mathematicam profiten-

tibus, more Oratorio (ſeu non-Mathematico) doctrinam ſuam tradere.

ſpecialiter ea quæ ad *Rationem Cognoſcendi* ſpectant, eſſe *ex ſeſe Evidentia* oſtendas; vel ſaltem *probare* ea eſſe *Evidentia*, Argumentis quibus ineſſe Terminorum Connexionem veram ac genuinam demonſtrabis. Id ſi præſtiteris, vel juratò tibi ſpondeo me Faſtui (ut vocas) meo æternùm valedicturum, méque pro Diſcipulo tuo humillimo agniturum. Tu aſſeruiſti (Integri Corporis Philoſophiæ, Part. 4. cap. 3. §. 24.) *Philoſophiam tuam Naturalem eſſe Mathematices partem*: Num oportere cenſes, ut, Diffusâ ac Solutâ Oratione, Concionantium ſeu Declamantium propriâ, tradantur aut tractentur res Mathematicæ? Per *Carteſii* itaque tui manes te oro obteſtórque, ut calamum prenſes, & Veſtra Sciendi Principia rigore *Mathematicis digno* demonſtres. Cur ſaltem *Carteſius* tuus, Vir utique in Matheſi conſummatiſſimus, hoc non effectum dedit? Certè Doctrinæ ſuæ promovendæ, cujus cupientiſſimus erat, nihil quicquam conducibilius aut efficacius excogitari potuit; cùm iſtud Certitudinem atque Evidentiam Hypotheſis ſuæ extra omnem dubitationis aleam ſtatuiſſet. Quare, cum *Carteſium* id maximè voluiſſe nemini dubium eſſe poſſit, & tamen eum iſtud non feciſſe conſtet; omninò concludendum eſt, idcircò eum a cœpto, tum ſibi maximè honorifico tum aliis utiliſſimo, abſtitiſſe; eò quòd Placita ſua, licèt *Mathematica*, non poſſe tamen (quod mirum abſurdúmque eſt) ad *Mathematicam Evidentiam* reduci, ſeu ad *Terminorum Connexionem* redigi (ſine quâ nulla Veritas ſtabiliri aut demonſtrari poteſt) prudens præſenſerit. Saltem, cur *Carteſius* Theſin ſuam categoricè non propoſuit, & deindè catenato conſequentiarum nexu probationem ejuſdem proſecutus eſt? Cur non Tu, mi Amice, id tentâſti, quòd a me in ſingulis pœnè *Methodi* meæ paragraphis factitatum vides? Nec peto à te ut id

præſte-;

præstes; saltem id *tentes*, & videbis quali honore te prosecuturus sim, licèt nonnunquam, imò sæpiùs lapsus fueris. Hoc si aggrediaris, aliquod saltem Philosophi specimen dabis, & Rationis Veritatísque viribus te causam tuam committere ostendes; cùm, ex adverso, nullam Thesin liquidò proponere, & Terminorum connexione Veritatem ejusdem stabilire, nè quidem *conari*; sed leviculis ac desultoriis discursibus & Explicatiunculis, quod propositi defendere velle, te prorsus ab ullâ Methodo Philosopho dignâ abhorrere nimis manifestè prodat.

9. Atat dices, non fuisse opus ut Authores alios *contemnerem*; &, in uno aut ultero loco, salibus exciperem & nimis festivè irriderem. Licèt non conscius mihi sim quod id usquam fecerim, nisi ubi totum Scientiæ ædificium diruere, aut Fanaticismum in Philosophiam introducere satagebant Authores illi, nihilominùs Tibi, etiam in hoc, morigerus satisfaciam. Fingamus itaque homines duos inter se contendere uter eorum plus aquæ dato tempore hauriat, aut socium cursu antevertat. Fingamus iterùm horum unùm situlam rotundæ figuræ quò plus Aquæ exantlaret, & vestes lineas quò curreret celeriùs, sibi parâsse; Alterum verò ad hauriendam aquam non nisi *Danaidum Dolium*, cui fundum defuit; & *ocreas plumbeas*, quò ad cursum esset magis expeditus, sibi delegisse. Ecquis mortalium non *contemnet* hujus posterioris *Stultitiam*? Ecquis temperabit a *Risu* quòd media ad præstitutum sibi finem adeò inepta ac prorsus ridicula elegerit? Ut præsenti occasioni hæc applicem; Aio, non magis inidoneam esse *Danaidum Dolium* ad hauriendum Aquam, aut *ocreas plumbeas* ad celeriter currendum, quàm sint Discursus illi ad Principia fundanda aut ad Veritatem vel Scientiam adipiscendam, qui *Terminorum connexione* non constent.

Velle Scientiam comparare absque *Terminorum Connexione*, Stolidum est & *Risu* dignum.

Deinde,

Deinde, quid impedit, cur non deceat Veritatis Defenſorem *ridere* cùm adverſarius ſuus *Ridicula profert?* Nunquam ne legiſti *Tertullianum* illud adverſus Valent. cap. 6. *Multa ſunt ſic digna revinci nè gravitate adorentur— Congruit & Veritati ridere, quia Læta; de æmulis ſuis ludere, quia Secura eſt— Ubicunque Riſus dignus, officium eſt.* Sed, obſecrandus eſt hîc Lector; (nam video te, mi Amice, quæcunque dixero non niſi lævo & obliquo oculo cernere) ut fixo intutu advertat de quâ re lis noſtra inſtituatur; nempe, de *Methodo ad Scientiam* acquirendam idoneâ. Hoc *unum* liber ille meus totus ſpirat: De *hâc Methodo* præcisè inter me, & *Carteſium* Authoréſque illos quos citas, Quæſtio agitatur. Tu, more tuo, omnia conturbas, omnia miſces; & Lectoribus ſuadere vis me *omnibus*, & in *omni re* (velut alter *Iſmael*) adverſari; nec quicquam ſani à quoquam præterquam à meipſo, dictum aut ſcriptum agnoſcere velle: In quo quidem *calumniaris fortiter*, at *nihil hærebit.*

Carteſianos, licèt modeſtè *loqui* affectent, *Factis* tamen ſuis, Scholas, imô omnes præter ſeipſos, *contempere.*

10. Ejuſdem farinæ eſt quòd crudè me inſimules de Scholaſticis oppugnandis; quòd ſic intellectum cupis perinde ac ſi *omnibus* Scholis, atque *in omnibus* ferè rebus, illis adverſus ſim. Cùm tamen diſertè afferam quòd non niſi *nonnullis* Scholaſticis, & *nonnullis in rebus*, quas, ubi occaſio tulit, notavi, illis ſim adverſus: Speciatim quod nullam Certam Diſcurrendi *Methodum* probent ac ſtabiliant. Vide *Philoſ. Sol. Aſſert.* p. 431. ubi, loquens de *Doctorum Virorum Cœtibus*, hæc ſubjungo, —*Quales Scholæ ſemper debent eſſe, & ſæpe numerò ſunt.* Vides itaque me Scholas *diſtinguere*, & *quamplurimos* Scholaſticos laudare; Cùm, ex adverſo, *Carteſius* tuus *cunctis* in diſcriminatum, *factis, dictis* ac *ſcriptis* ſuis ſe oppoſuerit; nec quicquam reliquerit quod vel Scholarum *veſtigium* vocari meruit, nè Categorias

ſias quidem ipſas: Sed omnia mutavit, omnia innovavit, omnia ſúſque déque vertit; &, tum Fundamenta poſuit nova, tum nova omninò Placita, Principiis, à ſemet excogitatis, non (uti oportet) à Naturâ datis, ſuperſtruxit. Putáſne, mi Amice, jam omnibus non ſatis innoteſcere *Carteſianos* centies, imò millies, magis diſſentire à *Scholis* quam *Ariſtotelæos*? Vide quàm prodigiosè domi cœcutis! Vide, nam omnes alii pervidebunt, te nihil penſi habere quid deblatéres vel objicias, modò Amicum tuum obloquendo lædas; præſentiens te Argumentis quæ affert reſpondendis eſſe imparem. Modeſtiam Carteſii (§. 25.) laudas; Ego ejuſdem in Modeſtiâ *ſimulandâ* Prudentiam; quam ſi ipſe etiam *ſimulare* vellem, non rudi ferulâ tuâ vapulâſſem. Dico, [*ſimulare*;] nihil enim reverà *Immodeſtius* vel *fingi* potuit, quàm Univerſo, tam Præterito quam Præſenti, Mundo unum ſe magis oculatum factis ſcriptíſque ſuis oſtentare; niſi eo nomine ſe excuſatum exiſtimavit, quòd *Veritatis* (uti ipſe judicavit) aſſerendæ causâ id ſibi facere permiſſum fuerit. Quod ſanè, ut aliter philoſophandi quàm Scholæ ſolebant optimam rationem fuiſſe ipſe non negem; ita à te peto ut oſtendas, cur non pari ratione idem *mihi* itidem non liceat quod *Carteſio* tuo licuit?

11. Procedis §. 29. more tuo, & me *arrogantiùs dictare Lectiones* meas *Logicas Clariſſimis Academiarum viris* obſtrepis. Tuam fidem, Lector! Quenquam nè adeò Livoris & Malevolentiæ æſtu abreptum, ut omnem *Veri* dicendi curam, omnem erga *Lectores* reverentiam penitùs abrenunciârit! In Præfationis illius fine, *Judicio* eorum quid de conatibus meis decernendum ſit humiliter ſubmitto, ipsóſque adeò *Proprios* in hiſce rebus *Arbitros* conſtituo. Ibidem, p. 26. Argumenta mea eorum *Deciſioni* ſubjicio; imò *Veniam peto à Lectore*

Falſiſſima & Mendaciſſima D. *Le Grand* Calumnia.

ctore, ſi, viâ non tritâ incedens, aliquoties titubem Hoccine eſt *arrogantiùs dictare*, imperiosè & *inurbanè* me *gerere?* Hoccine *oſtentationem ingenii* aut *Faſtum*, prout tu ubique crepas, ſonat, ve eriam ſonare videtur? Sexcentas, ut conjicio, hujuſmodi *Falſitates* (alius dixerit, *Mendacia*) Præfationem & Appendicem tuam ornant, imò maximam illis vim tribuunt. Inter quas principem locum obtinet quod imponas mihi ac ſi dixiſſem, *Academicos, illis ipſis ſtudiis quibus inclaruêrunt hactenus nequaquam profeciſſe, aut majus aliquod potuiſſe quam vitreum vas lambere, pultem non attingere*, p. 22. Cùm tamen ne verbulum quidem dixi de *aliis ſtudiis*, vel de nullo in iis *profectu*; ſed tantummodò de ſtudiis Philoſophiæ per *Ideas* illas quæ non aliud erant quam *Rerum Similitudines*; ut in ipſo initio Præfationis ad *Philoſophiam Solidam Aſſertam*, manifeſtè conſtat. Par huic eſt, quòd, ſi quando *Divinæ Providentiæ* acceptum feram quòd aliqualem Scientiam habeam ad errores redarguendos, tu interpretaris quaſi dixiſſem me inſtigantis *Numinis Commotione* afflatum. Quïs hoc ab homine Chriſtiano expectâſſet, ut cuiquam vitio vertat quod quicquid habeat ad Deum, omnis Boni Authorem, referat; aut (quod ſequitur) ut, ſi quid aliquid boni præſtet quod alii prætermiſerant, eum non in hunc finem a Deo idoneum factum. At hoc mi Amice, inter Fanaticos, & veræ Chriſtianitatis Profeſſores intereſt; quòd hi ſe ad Actiones ſuas duci ac perduci à ſerie Cauſarum Secundarum, *fortiter* & *ſuaviter* operantium, quas ad talem effectum producendum ordinaverat Divina Diſpoſitio, ſeu Providentia; Illi, è contrà, per Interna quædam Lumina ſeu *Ideas*, vel immediatè a Deo *Infuſas*; vel a ſemet *Elicitas*, hoc eſt, reverâ, *è proprio cerebro effictas*, ſe ad Actiones ſuas propelli aſſerant. Utra ex iſtis Methodis *Fanaticiſmum* magis oleat, judicet Lector.

12. In

12. In *Carteſii* laudes totus effuſus es: Quis, obſecro, eum vituperat? Videbit Lector, licèt tu id diſſimulas, quibus laudibus eum proſequar in Præfatione ad *Methodum* meam, p. 29, & 30. Multa egregiè ſcripſit: Nihil diſertius aut nervoſius quàm Liber ille *De Paſſionibus*. *Dioptrica* ipſius unà cum D. *Albio*, cujus ope ad intelligentiam illius conſequendam tunc uſus ſum, *Anno* 1655. legi; & ut par erat, miratus ſum. Ubique, etiam dum errat, ingenioſiſſimus eſt. Præcipuum & pænè unicum quod in ipſo mihi diſplicet, eſt *Methodus* in quam incidit; non aliâ de causâ, ut exiſtimo, niſi quod veræ Metaphyſices ſtudio (neſcio quo caſu) non adeò excultus, indéque veræ Logices Regularum ſequax non fuerit. Quibus ſi admirandum, ac pænè Divinum, tanti Viri ingenium examuſſim ſe excoluiſſet; ex *Terminorum Connexione*, in *rebus* ipſis originaliter fundatâ, & non ex vividâ *Cogitationum* ſuarum indole, Veritatem æſtimâſſet, aut de ea judicium tuliſſet. Quem quidem Defectum, cùm ipſe plurimùm Scientiæ obfuturum perviderim, eo nomine (Veritati utique magis amicus) Carteſio me oppoſui; atque etiamnum, licèt tu ringaris, oppoſiturus ſum: Tu è contrà, adeò *jurâſſe* videris *in verba* ejus, ut vel ſputum ipſius lambere paratus ſis; cùm tamen ipſe liberè de me profitear, non ſollicitus an tu Faſtum reputes necne, quod neque *Carteſio*, nec *Malbranchio*, licèt, cætera, Magnis Viris; neque *Digbæo*, neque *Albio*, at nec ipſi *Ariſtoteli* (licet in Scientificâ Cognitione longe ſuperiores ſint prioribus illis) parcendum judicem, ubi evidenti ratione conſtiterit ipſos Veritati adverſari. At fert animus tuus ut *Extrinſecis* Argumentis admodùm delectêris; *Intrinſeca* etenim adducere præter morem & Genium tuum eſt: Unde Authores nonnullos allegas qui Carteſium Encomiis ſuis ornârunt. Comparatio *Carteſii* & *Ariſtotelis*.

Quaſi verò mihi non liceret innumeros pænè præ pauculis tuis, eôſque Viros Eximios, adducere, *Ariſtotelis* Encomiaſtes; qui Eum his & hujuſmodi Titulis inſignièrunt. —*Magnus & Admirabilis Vir* —*dexteritatem Ariſtotelis in tradendis diſciplinis, non eſt aliquis ab Orbe Condito aſſecutus.* —*Cæteris præluxit quantum Sol Lunæ & Syderibus minoribus.* —*Summus ac Primus omnium Scientiarum Dictator.* —*Ariſtoteles eſt Regula & Exemplar, quod Natura invenit ad demonſtrandum Ultimam Perfectionem Humanam.* —*In eum pænè videtur collatum quicquid eſt capax Humanum Genus.* Vel (ut B. *Hieronymus*) *Ariſtotelos eſt Humani ingenii Finis*; ſeu, *non-ultra.* Porrò (ut *Elizabethæ* tuæ occurram) —*Philippus & Olympias ſtatuas Ariſtoteli erexérunt, & Stagyram* (oppidum ubi natus erat) *bellis devaſtatam, de novo, ejus gratiâ ædificárunt.* Diogenes Laertius ait ipſum quadringentos Tractatus ſcripſiſſe: At *Franciſcus* Patritius *Venetus*, ſeptingentos quadraginta ſeptem. Adde, Ariſtotelem non ſolutâ, diffusâ ac circumductâ oratione uſum eſſe, ſed preſsâ ac ſuccinctâ; ita ut vix verbum ullibi ſuperfluat. Hæc omnia, mi Amice, ſi benè contuleris, videbis, Quantus *Ariſtoteles*, præ *Carteſio* tuo; quantillus *Carteſius*, præ *Ariſtotele*, cuivis juſto rerum æſtimatori haberi debeat.

Carteſium & Malbranchium non ab J. S. ſed à Carteſianis imò & D*le Grand*, Fanaticiſmi in Philoſophiâ, & Enthuſiaſini accuſari.

13. Atat! Aſſerui *Carteſium* (ut nullum eſt magnum ingenium abſque aliquâ inſaniâ) dum Methodo ſuæ ſtatuendæ incubuit, aliquando in *Enthuſiaſmum incidiſſe* & *Viſiones* ac *Revelationes habuiſſe, adeò ut Delirus aut Ebrius videretur.* Quin & *Malbranchium* Fanatici more ſcripſiſſe dum aiebat, *Scientiam* Humanam non niſi ex *Revelatione Divinâ* haberi poſſe. Hinc profluxit maledicentiæ tuæ origo; hinc, totam Calumniarum tuarum pharetram ad famam meam transfigendam jaculatus es: Hâc de causâ, tu & Hyper-

peraſpiſtes tuus, inito concilio, integra convitiorum plauſtra ad me obruendum congeſſiſtis. At quamobrem, obſecro! Egóne hoc dixi de meo an *tranſcripſi illa* à Carteſianis in hâc re fide digniſſimis? Scriptor vitæ Carteſii, qui Carteſianus erat, ipſique amiciſſimus, priora verba diſertè tradit: Poſteriora ex Malbranchio ipſo deſumpta ſunt. Nonne tute ipſe idem ſatis apertè fateris, dum Defenſionem ipſis præſtare conaris, & nihilominùs neque verba perperàm a me exhibita aut falſata aſſeris, neque rem negas. Fateris itaque ſilentio tuo non *fictè* a me iſta fuiſſe *impoſita*, ſed omninò *Vera*; licet palàm id proloqui non integrum tibi fuerit. Quæ cùm ita ſint, an putas, Amice mi, quòd Humano Generi tam parùm amicus ſim, ut periculi adeò inſignis, Carteſii & Malbranchii ſtudioſos, aliòſque non admoneam; nè forte dum ad eandem Methodum addicti ſunt, in idem quoque Delirium maleſani incidant? Quid tu? Cùm aliter te expedire non potueris, nec refutare quæ à Carteſianis ipsóque Malbranchio adeò diſertè traduntur, ad Maledicentias confugiſti; in quibus prora puppiſque Confutationum tuarum poſitæ ſunt; Hæ ſunt tuæ *vires*, hæc *magna potentia ſola*. His armis ſi Præfatio tua exuta ſit, quam *frigida* apparebunt omnia quæ ibi malè ſedulus operosè congeſſiſti!

14. Veruntamen, nè me eſſe ſolum atque unicum exiſtimes qui *Malbranchium* tuum hâc ex parte accuſârit; vel, ſine causâ, iſta, viro cæteroqui ſatis docto atque eleganti, objecerit, paucula mihi adjicienda ſunt. Dum Præfationi, quæ *Methodo* meæ præfixa eſt, ſcribendæ intentus eram, inviſit me amicus noſter D. *Baſſettus*, qui etiam Doctrinæ Carteſianæ addictior erat. Is *primus* mihi retulit qualiter, & quo in loco, *Malbranchius* Fanatico more ſcripſerit. Librum quæſivi,

Multos ex Lectione *Malbranchii* pænè ad Inſaniam redactos.

ac vera omnia comperi; &, cùm ad rationem Inſtituti mei id pertinere cenſuerim; male-ſanam doctrinam illam, itémque ſententiam aliam, quæ prorſus Blaſphema mihi viſa eſt, pro meritis, uti officium meum erat, liberiùs perſtrinxi; de quâ poſtea. Vis alterum? Epiſcopum quendam noſtratem honoris causâ inviſi, magni Nominis atque Eruditionis Virum; qui gratias mihi egit, quòd in *Methodo* meâ *Malbranchium* oppugnâſſem. Aſſerens quendam ſibi notum, & ſcriptorem non ignobilem, ex *Malbranchii* lectione adeò pænè dementatum, ut Hominum Societatem refugerit. Quod idem ab aliis quoque accepi. Habe tertium exemplum, quare Malbranchium hâc ex parte impugnandum duxi, D. *Phelippeaux*, vir probus & ſincerus, retulit mihi, quòd, dum Pariſiis in Collegio dicto de *Liſieux*, ſtudiis operam dabat, amicus ac condiſcipulus quidam ſuus *Carteſio*, ac præcipuè *Malbranchio* legendo adeò addictus erat, ut in eis defendendis uſque ad furorem incaleſceret; imò, conquiſito gladio, de ſociis qui illorum doctrinam oppugnabant, ultionem ferro ſumere decreverat. Aberat aliquandiu Pariſiis D. *Phelippeaux*; at poſt ſex menſes rediens, & de amico ſuo Malbranchiano interrogans, reſponſum habuit, ipſum in domibus ubi mente capti adſervantur [*les petits Maiſons*] concluſum eſſe. Vide ſis, mi amice, nè Tu quoque eodem animi morbo corripiaris: Multum quippe vereor nè Lectores, qui furioſas contumelias tuas legerint, quæ ex cerebro ſatis ſano prodire vix poterant, ſuſpicentur te etiam ab eâdem mentis imbecillitate non eſſe penitùs immunem.

Lepida de Malbranchiano quodam Hiſtoria.

15. Cum Philoſophiam tuam dixeris cum *quodam lepore ſibi conſentire*, *Lepidam* hiſtoriolam tibi narrabo de alio Malbranchiano; eodem ſcilicet viro, qui Malbranchii libros *De Inveſtigandâ*

veritate

veritate Anglicè vertit; qui adeò meticuloſus & phreneticus evaſit ex Lectione Malbranchii. ut omnia metueret ubi nulla omninò metûs cauſa fuit. Hoſpitabatur forte in domo quâdam ubi, neſcio quo informante, Traditores nonnulli latitare dicebantur. Circumſepta erat domus nocte valdè tenebroſâ. *Is*, licèt nihil ſibi conſcius, provoluit ſe è lecto, & vix benè veſtitus in hortum ſeceſſit tremebundus, & arborem conſcendit; ubi in tuto, modò ſiluiſſet, eſſe poterat. Accidit autem, ut, cum Exploratores illâc tranſibant, & jam ſub arbore illâ erant, adeò Panico terrore correptus ſit, ut, ſolutâ præ metu aluo, ſtrepitum ediderit (forſan etiam odorem) cujus indicio captus eſt, & coram Juſticiario adductus; à quo agnitus eſt, & (fuit enim vir innocentiſſimus) ſtatim dimiſſus. Sed ut ad magis ſeria revertamur.

16. Quò invidiam mihi à viris doctis ac ingenuis conflas, vis mihi imputare (§. 32.) quòd, ex citatione S. Joannis, *Carteſium* eſſe *Antichriſtum* ſubinnuerim. At, quàm vafrè quàm malitioſè! Teſtor Deum me nihil ejuſmodi de viro illo Eximio, & (quantum ſciam) Orthodoxo & Pio, vel ſomniâſſe; nedum intendiſſe Famam & Bonum Nomen ipſius labe tam infami denigrare. Sollicitus eram de defendendâ Unione duarum in Chriſto Naturarum in unâ eâdémque Perſonâ; & memoriæ inter ſcribendum occurrebat phraſis illa S. Scripturæ [*ſolvere Chriſtum.*] Hâc phraſi uſus ſum, neque cogitationem, quam tunc habebam, ulteriùs porrexi. Nihil quod ejuſmodi contumeliam, viro Chriſtiano indignam, ſapiat in ſcriptis meis invenies uſpiam. Æquior ſum quàm ut eos qui ita defendunt aut explicant Theſin ſuam ut mihi videantur *ex conſequio* aliquam Revelatæ Fidei Articulum labefactare, protinùs eo nomine *Hæreticos* exiſtimem, nedum

Nihil ſiniſtri de *Carteſii* ſinceritate in Fide ſenſiſſe J. S. ut D. *le Grand* leviter ſuſpicatur.

Antichriſtum, aut *in Spiritum Sanctum Blaſphemum*; quibus verbis ex leviculo ac ſuſpicaciſſimo genio tuo, tu ad Famam meam Chriſtianam interimendam uſus es. Non Error, Humanus utique lapſus, ſed *Intentio*, eaque contra Fidei Normam contumax & obſtinata, quenquam Hæreticum facit, Nihil ſiniſtri hâc ex parte vel de *Carteſio*, vel dc ullo alio judicavi unquam; At nec de Teipſo; etiamſi mihi nimiùm conſtet te *Moralem* Chriſtianitatis *Legem* (quæ æquè de Fide eſt ac quivis Articulus *Speculativus*) poſthabitâ & penitùs neglectâ omni, tum Charitatis conſervandæ tum Veritatis dicendæ, curâ, peſſimè violâſſe. Video namque te eſſe, licèt immeritò, commotiſſimum, & ex genio tuo admodum levi, perquam ſuſpicacem & Judiciis temerariis deditiſſimum; unde omnia adverſarii tui dicta in ſequiorem partem trahere ac diſtorquere valdè proclivis es. Quàm longè abſim à moroſo iſto Genio, vel ab improperando quicquam hujuſmodi Carteſio, tute, qui Libros meos legiſti, videre poteras in Dedicatoria *Solidæ Philoſophiæ Aſſertæ* præfixa, p. 12, 13. ubi hæc verba habeo. [*Abſit ut minimam labeculam vel Carteſio, vel D. Lockio allinam, perinde ac ſi in animo haberent ex novis ſuis Methodis injuriam aliquam Dogmatibus Chriſtianis irrogare. Conſtat ſiquidem, tum ex eorum ſcriptis, tum ſpeciatim ex modo quo de hujuſmodi rebus diſſerunt, ipſis propoſitum fuiſſe ingenuè & ſincerè Veritatem ſequi.*] Hæc, inquam, mi Amice, videre potuiſti, nec dubium eſt quin ea etiam videris; nam ſingulos Librorum meorum Angulos ſollicitè perſcrutatus es, quò aliquid quod carperes, invenias. Verum, ut in diverbio dici ſolet, [*Nemo cæcior videre nolente.*] Et valdè tuâ intererat ut Cæcitatem *ſimulares*; aliter ſiquidem nihil ſuppetiiſſet tibi quod calumnieris. Et, —*Si non aliquâ nocuiſſes, mortuus eſſes.*

17. Poſt-

17. Poſtquam Mores meos, ad invidiam atque Odium mihi creandum, nil nili *Superbiam* omnibus abhominandam ſpirare, calumniati eſtis tu & Hyperaſpiſtes tuus; ſperantes, vobis fidem adhibendam ab iis quibus genius meus non latis perſpectus erat; proximè *Inſcitiam* atque *Imperitiam* meam in *Logicis, etiam Sophiſtis & recentiſſimè natis ridendam* exponere pergis. Duas ad id oſtendendam Inſtantias profers. Miſericordiam tuam, Logicorum Doctiſſime, ſupplex implorо; quâ nili me digneris, vereor nè ad ima ſubſellia detrudar; & Ferulâ, puerulorum more, malè mulcter. Sed videamus quid Gigas iſte ingens in Logicâ qui me puſionem, vel integrum, uno hauſtu deglutit, tali oſtentatione dignum offert. Prior Inſtantia Invenitur, §. 28. ubi aſſerit quod *in Methodo meâ Demonſtrativâ, de Methodo Syntheticâ & Analyticâ, nè una quidem Lectio, non Capitulum unum, aut Sectio una reperiatur.* Addo ipſe, quò objectionem tuam firmiorem reddam, *nec unum Verbulum quidem.* Tunè idoneus es, Amice mi, ad Libros confutandos, qui nè Scopum quidem aut Intentum ad quod collimant, omninò advertas aut intelligas. Quoties te monere oportet me de ſolâ *Connexione Terminorum*, cujus ope *Demonſtratio*, & per illam Scientia ac Veritas acquiritur, curam habuiſſe, cætera omnia neglexiſſe? Nonne vides Librum Primum ſolummodò, de Liquidâ ac Diſtinctâ Terminorum ipſorum Cognitione, tractare; Secundum, de duorum Terminorum inter ſe Connexione, ſeu de *Judicio*: Tertium, de Connexione Terminorum duorum cum *Medio* utrique Proprio; unde Veritas *Concluſionis* elicitur, indéque *Scientia* acquiritur? Nonne vides me deditâ operâ de reliquis ad Logicam attinentibus eidémque appendi ſolitis, quæ in vulgari quovis Libro reperiuntur, de induſtriâ non tractare,

Prima Inſtantia D. *Le Grand*, ad oſtendendum quòd J. S. ſit in Logicâ imperitiſſimus.

quò ad hoc unum, maximè omnium neceſſarium, toto connixu incumberem? Quid quòd *non ſatis Ampla* ſit iſta Objectio tua, dum illam ad *unam* tantummodò rem à me omiſſam coarctas. Id officii, cùm adeò amicus mihi ſis, tibi præſtabo, ut multa etiam alia, in nonnullis aliorum Libris reperta, à *me* tamen *Omiſſa*, ſuggeram. Inſpice, quæſo, Præfationem Methodi meæ, p. 14. & videbis *multa* quoque *alia* à me neglecta; imò decies plura, ſi jubebis, tibi denumerabo. Quare *Diminuta* valdè erat Exceptio tua, & tam Nobili ac Copioſo Objectori, qualem Tu temet exhibuiſti, vix digna. Præterea, Ego de his ſolummodò egi quæ demonſtratu aptiora erant; cùm tamen Methodus Synthetica & Analytica mera Narratione ſatis addiſci, ac proinde è quovis Libello peti poterant. Denique *Connexio Terminorum, Sola* & *Unica* eſt *Methodus* illa quam mihi propoſui, & in Titulo Libri illius ſignificavi; quæ ſatis conſtabit, & Sensûs Cohærentiam compinget, etiamſi de Methodo Syntheticâ & Analyticâ, ultra quod bonitas Naturæ ſponte dabit, non omninò tractetur.

Secunda Inſtantia retorquetur in ipſum D. *Le Grand*, & Falſationis, Inſcitiæque convincitur.

18. Altera Inſtantia invenitur in §. ſuo 43. Et hic doctiſſimus D. *Le Grand* adeò triumphat ut mirer eum *Auli Gellii* verbis, paululùm mutatis, non exclamaſſe.

Concurrite Omnes Augures Aruſpices,
Portentum inuſitatum conflatum eſt recens.
Nam qui Logicam profitetur Syllogiſmum componere neſcit.

Imò, attendite quotquot eſtis Academici; & niſi vel *hinc* liquidò oſtendam Amicum meum D. *Le Grand* (& Armigerum ſuum, qui hanc Objectionem ipſi ſuggeſſit, & adhuc, uti audio, eum magni facit) eſſe Logices imperitiſſimum demonſtravero, non dico cauſam quin ſtupidior quovis fungo audiam. Oculis tantùm utimini; nam vix com-

communi Sensu ad Ostentatoris istius Ignorantiam confutandam opus erit. Videbitis in Lib. 3. *Methodi* meæ, Lect. 1. quòd, postquam *Consequentiam* seu vim Concludendi ex Primis & *per se notis* Principiis §. 3. Stabilem reddidissem; ad *Collocationem Partium* Syllogismi, seu Trium Terminorum è quibus constat, hoc est, ad *Figuram* Syllogismi §. 8. progressus sim; at de Syllogismo ullo *componendo*, nedum de ullo Syllogismorum *Modo*, ne verbulum quidem habui; sed ut Methodi ratio postulabat, de solâ *Collocatione Medii Termini*, seu de *Figurâ* tractavi. Id ita esse tot Testes habeo quot sunt Paragraphi ab §. 8. usque ad illius Lectionis finem. Id quoque testarum affatim dabit *Titulus* Lectionis proximè sequentis, ubi pervidetur me de *Modis Syllogismi* tractare tunc primùm incepisse. Id testabitur denique Syllogismus quem p. 232. exempli tantùm causâ, adduxi ad ostendendum locum Medii Termini Proprium; eo fine, ut appareret Determinatam Conclusionem inde necessariò, idque ex vi collocationis Terminorum, secuturam; & non ut *Exemplum Syllogismi*, (uti ex §§. 12. & 13. luculenter constat) in *Modo* ullo *compingendi*; nondum enim eò perventum erat. Rectâ Syllogismi *Figura* constitutâ ac stabilitâ, quam a §. 8. ad 14. demonstravi in solâ Figurâ illâ quæ *Prima* dicitur reperiri, ad Figuras reliquas è Scholâ eliminandas perrexi; utpote quæ non necessariæ erant, sed Inutiles; imò ad Discursum non *elucidandum*, sed confundendum ne pervertendum aptæ; unde etiam ad *Figuram Primam*, majoris Claritatis causâ, Reductione indigebant. Inter alias autem rationes, quare è Scholis essent abigendæ Figuræ illæ, istam præ cæteris adhibui, quia nulla *Determinata* Conclusio in iis *secutura* erat; quam tamen ostendi secutam esse in *Prima*; Hoc est, (cùm quod non est *Determinatum*,

nec

nec *sit*, nec *possit esse*, Conclusionem prorsus *nullam* inde sequi posse. Unde non licuit mihi *hîc*, sicut *prius*, p. 232. integrum Syllogismum ponere, sed *duas* tantummodo *Propositiones*; ut in loco hîc a D. *Le Grand* objecto, *Meth.* p. 233. videre est.

Enumerantur Errores, in quos incidit D. *Le Grand*, in secundâ istâ Instantiâ objicienda.

19. His ita deductis atque oculis Lectorum expositis, ad tuam, mi Amice, Insciti am an Arrogantiam, expendendam venio. Primo non attendis ad *Scopum* Adversarii, vel *de quâ re* agatur in loco quem impugnas. 2. Ais p. 38. [*Syllogismum suum in Secundâ & Tertiâ Figurâ clarè & distinctè propositum*;] & statim duos integros Syllogismos, tanquam *meos* ponis. In quo, duplici Titulo Temet *Falsarium Manifestum* exhibes; nam nullum Syllogismum neque *clarè* & *distinctè*, neque *obscurè* & *confusè* adduxi, sed duas *Propositiones* tantùm; quibus tu *Tertium* ex solitâ candore & benevolentiâ tuâ addidisti; nempe duas lineolas quæ non erant *meæ*; licèt Tu illas esse *Meas* fingas ac aliis suadere cupias. 3. Quòd, cùm ipse consultò abstinuerim ab *ullâ Conclusione* inferendâ, eò quòd non ullam *Determinatam* (seu quod tantundem est *Nullam*) inde deduci aut sequi, tum ostendi tum disertè professus sum; tu *duas Conclusiones* mihi imponis, tanquam ex Præmissis meis secuturas. 4. *Duas Propositiones* quas solas posui, tu *Syllogismos* meos appellas, cùm tamen vel stolidissimus ex *Sophistis* tuis & *recentissimè natis* te docere valeant, Syllogismum ex *tribus* Propositionibus constare debere. 5. Cùm notissimum sit quòd cùm Prædicationis Leges non ferant ut Inferior Notio, se solâ, prædicetur de Superiore, nisi addatur *vè*, [*Aliqui*,] v. g. non potest dici quòd [*Homo est Petrus*,] sed [*Aliquis homo est Petrus*,] ideóque, nè contra Prædicationis Regulas peccarem, *vè* [*Aliqua*] *Laudabili* & *Comitati* præfixerim; Tu, id oblitus & de nullâ re

e ſollicitus niſi quo pacto aliquid adinvenis uod mihi dedecori verti poſſit, ſomnias me ad Modos neſcio quos in Secundâ ac Tertiâ Figurâ licèt eas, hoc ipſo in loco, deditâ operâ impug- em) reſpexiſſe, quò Syllogiſmos in iis compin- erem; contra totum illius Diſcurſûs tenorem & otius Lectionis ſcopum. Denique ais, *Extrema ta collocanda in Concluſione ut ſita ſunt in Præmiſ- is.* Et ſic *ais* quidem; & forſan hæc eſt una ex Regulis iis gratis ſuppoſitis, quas ego è Logicâ xterminandas contendo, niſi ratione conſtent. At provoco te, Amice mi, & quotquot ſunt Car- eſianos, ut oſtendatis ex naturâ rei (ut oportet) de quâ agitur, hoc eſt, ex *Artificiali* Syllogiſmi *ructurâ*, quæ non eſſet talis niſi omnes tres Termini *determinatum ſitum* haberent; præcipue autem ut oſtendatis ex vi *Collocationis* Medii Ter- mini & *Prædicationis* Legibus, cur *Unum* ex Ter- minis Extremis debeat eſſe Subjectum aut Prædi- catum in Concluſione potiùs quam *Alterum*; &, quod inde ſequitur, quòd ulla Determinata Concluſio ex tali Terminorum Collocatione, potuit ſequi; cujus contrarium abundè demon- ſtratum eſt *Method.* Lib. 3. Lect. 1. à §. 10. ad 16. Hæc tamen erat objectio tua *Herculea*; de quâ buccis inflatis Triumphum ante Victoriam cecinisti his verbis. *Quin adeſte oculis atque ani- mis, Academici, nam & Vobis Magiſter eſſe vult— Novæ iſtius Logicæ, Methodi, ſi placet, Scicndi In- ventor— En Syllogiſmum ſuum, &c.— Deridiculo eſt—contra notiſſimas Syllogiſmorum Regulas—ineptè ſentit.—ſpreviſti omnes, imò & Nobilem D. Kyncti- num Digbæum & Albium, quos certè aut nullos lau- das, Philoſophorum Albo eradere, & in Ludibria ver- tere,* (quod falſiſſimum eſt, cùm *Digbeus* nihil de hâc re ſcripſerit, *Albius* autem omninò me- cum ſentit)— *Non uno modo peccat Syllogiſmus tuus Primus* (nempe quem non Ego ſed Tu feciſti)—

Ha

*Has Leges non Sophistæ solùm, sed & qui in Acad... miis, pænè dixeram, recentissimè nati sunt, pr... nôrunt,—Turpiter erras—Lectiones tuas, Viris eti... Doctissimis, & apud Celeberrimas Academias flore... tibus, in Philosophiâ Professor non antea auditus, d... ctas.— Sutor es ultra Crepidam, Asinusque ad L... ram—imperitiam tuam prodis—*in Logicis *Ta... cæcior es,—sibilo excipiendus.— Nugator in æterna... audies.* Hæc omnia, in hâc solâ occasione, quâ miserrimè errare jam convictus es, convi... in quibus nè verbum quidem Veritatis aut ve... similitudinis inest, ex inexhausto penu tuo ef... tiisti: ubi quot dicteria totidem Mendacia n... merare licet. Nonne te pudet, Amice mi, tal... deblaterare? Certè me pudet cum homine rix... so, nec quidquam sobrii aut sani sensûs habent... sed quidlibet pro libitu suo fingente, (nisi quò fato nescio quo meo ad id coactus sum) rem h... bere, aut verbum tecum commutare.

Congesta D. *le Grand* apertissima Mendacia, dum, J. S. omnes quoscunque Authores *damnare* prætendit

20. Etiámne oportet ut nugas tuas ulterius prosequar? In §. 30. quò ostendas me in mei ipsius laudes atque omnium Vituperium esse effusum, ais me afferere quod *Epicuræi nullâ sint Notatione digni.* Sermo erat de *Methodo* ad Scientiam ducente stabiliendâ: Cur itaque non addidisti verba proximè sequentia, quæ rationem dictorum continent! viz. [*Nam is qui omnia Principia sua supponit, cunctis se opponit Scientificè concludendi Methodis.*] Quid tu dicturus es, mi Amice? Num, ut is qui cuncta quibus innititur Principia gratis supponit, confutatione dignus sit? Quo jure, obsecro! Nam satis est tali homini reponere, Nego omnia Principia tua; cùm nec sint ex sese, seu ex propriâ eorum & nativâ luce Evidentia, neque tu ea probare contendas. Nonne statim actum erit de talis Scriptoris Philosophiâ? Cùm is qui *nihil certi* producit, neque *discurrendi* cum quoquam *jus* habere possit.

Certè

Certè *Epicuri* ingenium (Method. p. 385.) cum multum laudavi, tum ibid. à p. 387. usque ad p. 394. quod in ipso mihi displicuit confutavi. Sed tu, pro more tuo, Rationibus atque Argumentis meis respondere non soles, imò rarò agnoscis quod ulla protulerim. *Conclusionem*, pro Logicâ quâ polles) strenuè *negas*; mordes, & ibis; & insigniter te Philosophi officio fecisse satis tibi videris. Pergis §. 22. & quamplurimos Authores agglomeras, tanquam a me *damnatos*. In quâ accusatione tot mendacia quot verba accumulâsti. Sigillatim ea expendamus. De *Epicuro*, jam dixi: *Artem Cogitandi* laudavi, sed in eo potissimùm vituperavi, quòd ad *Res ipsas* non satis respexerit, & quòd multas Regulas tradiderit, quarum Veritatem non *probet* sed *supponat* esse Veras. *Lushingtonum* etiam impensè laudavi, nisi quòd nimium *Artificii*, *Naturæ* parùm Logicæ ipsius inerat. *Burgersdicium*, non probavi, quòd nimius esset in Regulis suis, ac raro aut nunquam eas probet, quod idem de D. *Clerk* quoque dixi. D. *Gassendo* & *Charltono* quòd *Epicuri* Hypothesin non sustentare non valuissent; quod idem omnes etiam *Cartesiani* & *Aristotelæi* mecum, omninò dicturi sunt. *Regium*, *Rohaltium* & *Regis*, eo tantum nomine citavi quòd (ut retulit mihi D. *Bassettus*, qui rogatu meo, libros illos inspexit) nihil particulare nobis dederint de primævâ Materiæ Cartesianæ constitutione. *Spinozam*, quòd demonstrare Principia Cartesiana tentârit, non autem evaluerit. Nobilissimum ac Doctissimum D. *Boylium* summis laudibus prosecutus sum, neque quicquam prorsus *ipsi* objeci, sed *Methodo* solummodò explorandi Scientiam per *Experimenta* sola, absque ope Principiorum Naturalium; uti constare dixi ex eo quòd is, licèt tantus Vir, non potuit per Experimenta sola certam cognitionem nanciscì

eſſet an daretur *Vacuum*. Dicas jam obſecro mi Amice, an quiſquam Philoſophus teneatur *omnia* in *omnibus* aliis Scriptoribus approbare aut ſi in *nonnullis* aut *uno* aliquo eis refragetur idcircò *ſuſpectus* habendus eſt, & omnium aliorum *Damnator*, *Spretor*, *Contemptor*! Certè, debitam cuique laudem tribuo, neque ullum eſſe quin Utilem eſſe tum dixerim tam ſenſerim. Videsitaque te ne verbum quidem quod examuſſim. Verum ſit in invidioſâ iſtâ Criminatione tuâ protuliſſe.

De nequiſſimo, at ſimul lepidiſſimo ſtratagemate ab J. S. ſtructo, ad Perſonam *ipſam* D. *Le Grand* quinque ſpiculis transfigendam.

21. Probè laſſus ſum, Amice mi, ineptias tuas proſequendo, & Lectorem eaſdem legendo ſatis jam deſeſſum præſentio. Peroptabam equidem ad paulo utiliora procedere; at nondum licet. Graviſſima ſiquidem Criminatio, de Stratagemate contra Perſonam tuam intentato, & inſidiis ad te interimen dum ſtructis, idque adeò evidenter (ut exiſtimas) probatum, ut nihil evidentius vel fingi potuerit. [*Meipſum* (inquis, & literis Italicis, pro dignitate tua, pingis) *ſæpius, & in Præfatione Methodi Scienda*, p. 18. *cum Notula* * *quinque Radiis conſtante, tanquam tot ſpiculis tranſigendum, ex petulante ſuo Ingenio & Judicio pravo damnat.*] Bona verba, mi Amice, & [*Damnationem*] ſi Furori tuo placet, pro *mitiori* vocabulo commutes. Non meum eſt, aut unquam erat, licèt Tu illud ubique mihi imponas; Genio tuo magis quàm meo quadrant hujuſmodi verba; nam ſæva omnia & horrenda animis Perturbatione violentâ agitatis ſunt admodùm accommoda. Miſereor profectò tui quòd umbratili Aſteriſci * Figurâ, veluti ſpectro viſo, adeò exhorreſcas & crines tibi arrecti ſtent. Hydrophobiâ, aliiſque hujuſmodi morbis laborâſſe nonnullos audivi; Tu primus ac ſolus es qui contremiſcis nè ab *Aſteriſco* tranſfigaris. Crede mihi, innocuus eſt Aſteriſcus ille; neque

ſpiculo

ticula illa adeò formidabilia ſunt ut ab iis tibi
netuas. Quò itaque deponas Panicum iſtum
Terrorem, & nè idem incommodum tibi acci-
at quod Malbranchiano illi, quem ſupra me-
noravi, contigit; ingenuè fatebor tibi unde evê-
it ut nomini tuo Aſteriſcus ille præfixus fuerit.
olent Typographi variis ejuſmodi Notulis uti,
uò ea quæ in Contextu dicta ſunt ad citationem
oci in margine poſiti referantur: Unde alium
Aſteriſcum in margine poſueram, ad loca quæ-
am in Methodo tuâ, præ cæteris notanda, ubi
naximè probatione opus erat, nec tamen ullam
dduxiſti. Verùm, dum ſudabat prælum, Me-
hodam tuam pleniùs evoluens, cerneníque eam,
pænè *Integram*, defectu illo laborare; expunxi ci-
ationes locorum *particularium* in Margine, tan-
uam non neceſſarias, ſimúlque Aſteriſcum ibi
oſitum; relicto, præ incuriâ, altero illo quod
n Contextu erat. Quis hæc conſiderans, A-
nice mi, non pervidebit te eſſe ſani ſenſûs ina-
em, ſimúlque ſuſpicaciſſimi ac leviſſimi inge-
ii hominem, qui occaſionem adeò ridiculam
aptas quo bilem, quâ diſtentus es, exoneres?
Quis non cernet te ad maledicendum uſque
d miraculum proclivem, qui merè ob cauſam
am frivolam concludis me eſſe *petulanti ingè-
io & judicio pravo* hominem; cùm magni fa-
ias ſagacitatem ingenii tui, §. 44. quòd non
ueris *ita tardus quin ſtatim perceperis Aſteriſcum
lum nomini tuo præfixum in Provocationis ſignum.*
iſum teneatis? Nemo *Tarditatem ingenii tui*
ulpat, mi Amice; ſed furoris tui *præcipantiam.*
Vaſutus ſatis es imò uſque ad miraculum qui
lud odoratu invenis quod nuſquam eſt. Pu-
et me enimverò tam immodeſtam & ſcanda-
oſam calumniandi pruriginem, vel in adver-
rio, referre; licèt tu, ut meritò vereor, quâ
ſt perfricta fronte & animo ad convitiandum
obſtinato,

obſtinato, perſtabis; & egregium quiddam, ſic delirando, te præſtitiſſe tibimet intùs plaudas ac complaceas. Fateor equidem τὸ [*Meipſum*,] præſertim literis non vulgaribus pictum, magnum quiddam ſonare: At, ſi pro [*Meipſum damnat*] poſueras [*Mihimet etiam in rebus Philoſophicis ſe opponit*] cur neceſſe erat ut eo nomine, *petulanti ingenio & pravo judicio* homo audiam? Quàm immanis Faſtûs eſt adeò incaleſcere ut ſi quis tibi ſcriptis ſuis adverſetur, in contumelias prorumpas! Certè nunquam audivi *Teipſum* eſſe alicujus inſignis præ aliis Scriptoribus meriti, nedum ultra communem mortalium ſortem evectus, ut *Tibimet* æque ac aliis quibuſcunque, inter diſputandum contrarie, piaculum ſit. *Tibimet* itaque mi *Le Grand*, quantumcunq; ſcripſeris, in poſterum valedicam: ſperans hæc paucula è multis, vel ad Scepticum convincendum ſufficere poſſe, quòd nihil curæ habueris quid effutias; neque toti nobili tuæ Præfationi evoluendæ opus fore: *Herculeum* eſſet opus, & Philoſopho indignum, iſtud Augæ ſtabulum expurgare: hoc etenim (ut non inſcitè quidam ait) *Non tam eſſet in Arenam quam in Sterquilinium deſcendere.*

Quomodo J.S. ſe geſſerit erga Eximium D. *Joannem Lockium.*

22. Eximium Virum D. *Lockium* me è Philoſophorum Albo eradere clamitas? Cùm è tota Reflexionum mearum ſerie videre licet, quòd tum Ipſum maximo honore proſequar, tum in permultis magnam Judicii ſoliditatem ei non fictè ſed ex animo attribuam; imò multoties eum ex Notionibus quas à Rebus ipſis acceperat, Naturâ Duce, ſolidè argumentari. Demonſtrationem quam texuit ad evincendam Dei Exiſtentiam magnopere laudavi, & nervoſam eſſe agnovi. Verum quidem eſt quòd per Idearum Doctrinam, modò non ſint niſi Rerum *Similitudines*, poſſe nos ad ipſarum *Rerum* Cognitionem perduci,

perduci, omninò negem. Nihil tamen Urbanitatis erga tantum Virum omisi; licèt, ut virum Ingenuum decet & Veritatis amantem, id juris mihi reservârim, ut ubicunque eum à Veritate deviâsse judicavi, ipsi adversatus sim; tum etiam, ob eandem rationem, ubi quicquam ab Ipso vel etiam ab Aliis dictum fuerit quod Prima Intellectûs Principia violare mihi visum est, severiori illud Censurâ perstringere officii mei esse duxi.

23. Hâc de occasione licèt parergon sit, candor me admonet ut declarem quòd quodam in loco, tum D. *Lockium* malè intellexerim, tam acerbiore quàm par erat Notâ Censuram meam protulerim. Locutus erat Vir ille Magnus (Lib. 4. Cap. 7. §. 17.) paulo ante de *Infantibus* & *Ideotis*, quos nonnullos, *Risum* & *Discursum* Ideæ Hominis adjungentes, *posse evincere ait ex Primo Principio, non esse Homines.* Post quæ, addit. [Ipse etiam *discursum habui cum viris non mediocri Ratione præditis, qui actu negârunt eos esse Homines.*] Hinc, ego existimabam homines quos *valdè Rationales* appellat, negâsse *semet* esse Homines, cùm tamen eos de *Infantibus* & *Ideotis* id negâsse sit magis verisimile. Quòd autem erraverim in causâ fuit; 1. quòd duobus punctis clausa sit sententia illa quæ antecedebat; unde putabam verba sequentia novum Discursum introducere, non prosequi priorem. 2. Deceptus sum æquivoco sensu Pronominis Anglicani [*They*] quod poterit esse reciprocum etiam ad ipsos met *Negantes*, æque ac ad *Idiotas* & *Infantes*. 3. Quod etiam ostendit me non penitùs extra Veritatis cancellos aberrasse, tantundem esse arbitratus sum utrovis sensu sumatur sententia illa; nam is qui negat *Infantes*, (ac proïnde *semet* dum *Infans* erat) esse *Homines*, pari jure negare poterat *seipsum* esse Hominem; cùm eandem rem esse

Infantem recens natum & (*bis-Infantem*) Senem, omnibus in confeſſo ſit. Simulac autem Errorem meum reſciverim, ad Virum multis nominibus Clariſſimum D. *Richardum* Equitem *Blackmorum*, D. *Lockio* amiciſſimum, ſcripſi, tum veniam deprecans, tum ſpondens me, quamprimùm potui, publicè, atque interea temporis privatè, apud Amicos, Erratum meum declaraturum; quod candidè præſtiti atque etiamnum præſtabo. Quòd autem D. *Lockium* fictè laudârim quò res meas agerem, & deinde eam fraudulenter quaſi ex inſidiis adortus ſim, non niſi ab homine lividiſſimo, & Calumniæ abſque ullâ causâ deditiſſimo proficiſci potuit hoc commentum. Moribus ipſius, omni candore vacuis, & non meis, convenit tam vafra ſimulatio. Tres menſes fluxiſſe poſt Methodi mei publicationem antequam de Reflexionibus ullis ſuper D. *Lockii* Philoſophiâ ſcribendis propoſitum mihi erat, ſanctè profiteor.

Comparatio *Lockaniæ* Philoſophiæ cum *Carteſianâ*.

24. Non me latet; Amice mi, cur, Factioni non Veritati ſtudens, D. *Lockium* mihi infenſum cupis: Nempe, quòd Methodum philoſophandi *Lockianam*, *Carteſianæ* prætulerim. Et meritò quidem: Nam is *Ideas* ſuas quas vocat *Simplices* rebus ipſis acceptas fert; cùm veſtri homines *omnes* quaſcunque ſuas, vel ſibi *Ingenitas*, vel à ſemet *Elicitas* (hoc eſt, è proprio, ut oſtenderur, cerebro effictas) neglectis, poſthabitis, imò excluſis Rebus, profiteantur. Imò, ex animo affirmo, quòd, ſi D. *Lockius* ita Ideas ſuas explicare velit, ut illas non meras eſſe *ſimilitudines* rerum, ſed *Res ipſas* per modum Objecti in Mente exiſtentes; & *Complexas*, eſſe ex hiſce compoſitas; Doctrina ipſius Hypotheſi Carteſianæ quàm longiſſimè anteponenda erit. Præſertim, cùm ab inſaniâ illâ, communi omnium pænè mortalium ſenſui repugnante, abhorreat, quòd Senſibus

Sensibus in Scientiâ Rerum acquirendâ, omnis omninò Fides abroganda sit.

25. Verum priusquam futilitatibus tuis dicam *vale*, postulat officii ratio ut ob laudes quas in me §. 45. congeris, gratias, quantas debeo, persolvam. Nempe, quòd sim [*Cætera, certè Vir Magnus, Pius imprimis & Doctus——acerrimi Vir ingenii, Copiosæ Facundiæ, Morum suavissimorum, & Diligentiæ admirandæ, Tibi multis nominibus charus & Amicus*, &c.] Duplex tibi est Cor, mi Amice, & Lingua Duplex; neque existimabit quispiam qui te benè nôrit te aliâ de causâ innumeris Calumniis tuis invidiosissimis ista subjunxisse, nisi ut ostendas te non posse in aliquo tibimet constare. Unde æquum est, ni iraſcaris, ut *Teipsum* Interpretem tuorum ipsius Verborum constituam.

Magnus certè Vir. } Id est, { Nugator, in Philosophicis Talpa cæcior, Asinus ad Lyram, adeò imperitus in Logicâ, ut vel Sophistis & recentissimis Tyronibus inferior sit; denique, Delirus.

Pius imprimis. } Id est, { Injurius S. Joanni; Impugnator Divini Numinis, Oſor Ideæ Dei (hoc est, juxta te, ipsius Dei) in Deum Impius, in Cœlum spuens, forsan Atheus; Epicureus in Negando Dei Providentiam; Origenista; denique, in Spiritum Sanctum blasphemus.

Doctus imprimis, & acerrimi Viri ingenii— Id eſt, Imperitus, ineptus, ignarus, ſyllogiſmum componendi Inſcius; primorum Logices rudimentorum, etiam puerulis notorum Neſcius.

Morum ſuaviſſimorum. Id eſt, Intolerandi Faſtûs ac Superbiæ, omnes (præter ſeipſum) Scriptores, Doctos & Academicos, ſpernens, contemnens, damnans, & imperiosè iis dictitans; petulanti ingenio & Judicio pravo, &c.

Mihi multis nominibus charus, & Amicus. Id eſt, Tu profiteris Charitate atque Amicitiâ complecti hominem, quem vel ipſo Cacodæmone pejorem, ac magis Impium, depinxiſti.

Si iſthæc non ex animo dixeris, Adulatorum peſſimus à Lectoribus candidis meritò habendus es. Sin ſincerè & ex animo hæc locutus ſis, tunc enimverò cunctas Calumnias & maledicentias tuas fateris eſſe Falſas. Utrùm candidè loquaris, an non, *perinde* mihi eſt: Certè, pervidebunt omnes te eſſe hominem Ambidextrum, nec quicquam penſi habere quàm turpiter tibimet contradicas. Remitto itaque tibi Encomia tua: Nolo ut *Oleum* tuum *impinguet caput meum.* Vituperas me, Amice mi, dum talis es, etiam dum laudas; & maximum mihi Decus atque Ornamentum ex maledicentiis tuis, etiam peſſimis, me adeptum jam expertus ſum; & uberiùs adepturum mihi auguror. Debacchando ac calumniando *laſſus* eras; unde *ceſſare* ac *requieſcere* tibi

tibi volupe erat; &, ex Levitate tuâ, in contradictoria avolâsti. Putas forsan effugium tibi paratum in voce illâ [*Cætera*] quod clarè innuit me, nisi malè philosophatus fueram, esse *Magnum, Pium, Doctum, morum suavissimorum*, tibi *Charum* & *Amicum* &c. at Contraria omnia mihi jure imputanda si alia Principia quàm mihi imponere vis, amplectar. Perinde, ac si Ideæ *Cartesianæ* essent *Morum, Honestatis* & *Christianitatis* Regula; juxta quas tanquam unicas certásque Mensuras, de horum singulis dijudicare ac pronunciare oporteat. Ego certè non fictè, sed ex animo, virulenta ista, quæ ad famam meam denigrandam concervâsti convitia tibi condono; nec tam moribus tuis aut Ingenio ea imputo quàm quòd Inspiratori tuo nimis leviter obsecutus sis; licèt non aliâ ratione me à maledicentiis tuis purgare valuerim, nisi nonnulla ex dicteriis suis, iisque modestioribus, in te, uti cogebat necessitas, regerendo. Nullâ siquidêm ratione vitia cujúsque redarguere licet, quin necesse sit eadem *nominare*; unde si magna fuerint ea, etiam *nomina* quibus exprimuntur inurbanè sonare necesse est. Quanquam, nè adulari videar, profitendum mihi est quòd non aliâ ratione te a pessimo animi morbo, & Charitati Christianæ internecino, excusari posse putem, nisi quod *Cartesii* Enthusiasmo aliquantulùm afflatus sis, & *Malbranchianam* Insaniam nonnihil insanias.

Quot ac quibus artibus usus sit D. *Le Grand*, ad Doctrinam meam confutandam.

26. Ad meliora tandem, & Lectoribus nostris utiliora promovere gradum cogitabam, Argumentísque tuis respondere: Cæterùm, etiamsi lucernâ in meridie ea quæritem, vix uspiam invenio aliquid quod Rationis seu Argumentationis umbram præ se ferat. Perspiciet Lector, me, in *Methodo* meâ pænè ubique, & in singulis ferè Paragraphis, Thesin meam *Categoricè* ponere, & deinde *pressâ*, succinctâ & connexâ *Ratione* eandem

dem *probare*, pro modulo meo, conatum eſſe. Quid tu? Modò Theſes meas non vidêris *intelligere*; modò *perperàm* eas exhibes. Modò *non dicta*, à me *dicta*, contendis; aut, quæ dicta ſunt, *pervertis*. Modò *Concluſiones* meas merè *citas*, & (pro peritiâ tuâ in Logicis) ſtrenuè *negas*; nec Ratione aliquâ *improbas*, ſed tantùm hiatu magno & naſo adunco excipis; & perinde ac ſi vel *nominâſſe* ad eas confutandas ſatis eſſet, ad aliam rem transfugis. Rariſſimè, quas adduxi Rationes *agnoſcis*, nedum *premis*; vix unquam iis reſpondere tentas: ſæpiſſime *ullas* a me allatas fuiſſe *diſſimulas*. ---*Nullum*---*Telorum intereà ceſſat genus*--- Pervolitant ubique Calumniæ, maledicentiæ, Irriſiones, verborum & ſenſûs mei diſtorſiones, Contemptûs & Faſtûs tui magniloquæ oſtentationes: Unde fit ut vix quicquam liquidò ac diſtinctè intelligere valeat Lector, tot ac tantas futilitates ubique interſpergis. Adeò ut Præfatio iſta tua non in alium finem ſcripta videatur, niſi ut oſtendas quàm gnaviter Adverſarium tuum rodere ac laceſſere valeas. His Crabronibus circumſeptus, & infeſtis eorum aculeis undique impetitus, Lectorem obſecro ut mihi ignoſcat, & D. *Le Grand* acceptum ferat, ſi non tantum Commodi quantum à me aliàs expectare potuit, ipſi accreverit.

Poſitio Carteſianorum quod Anima & Corpus in Homine ſint *duæ Res*, malè quadrat cum doctrinâ Chriſtianâ de *Incarnatione*.

27. In §. 32. me Carteſio eſſe injurium criminaris, eò quòd aſſeruerim, ipſum *ex defectu Logicæ* non ſatis diſtinxiſſe Rationem *Suppoſiti* a Ratione *Naturæ*, dum ponit *Mentem Humanam, abſolutè & in ſe conſideratam, Rem eſſe à Corpore diſtinctam*. Tu eum defendis, eo quòd is non locutus ſit *de Suppoſito*, ſed de *Suppoſiti Partibus* ſeparatim ſpectatis, hoc eſt, de duabus in homine Naturis. Tu, Amice mi, *Defenſorem* te paras, cui vel maximè *Patrono* opus eſt? Applicemus dicta tua Chriſto, *Deo & Homini*; cùm eodem modò de Chriſto,

ac

ac de quovis alio *Homine*, hâc ex parte, si B. *Athanasio* credamus, discurrendum sit. Quomodò, obsecro, de Suppositi *Partibus* loqui potuit *Cartesius*, vel tu etiam, cùm Suppositum hîc sit *Divinum*, nec, proinde *ullas partes* habeat? Tu, si Articulus iste tibi explicandus erat, videris existimare Suppositum seu Personam Christi coalescere quasi ex *duabus Naturis*, tanquam sui *Partibus*. Cave sîs, mi Amice, ne, dum sic cogitas, *confundas* Naturam Divinam & Humanam in unum quasi Mixtum seu *Compositum*, quod *Suppositum* appellas. Monendus es *Suppositi* Rationem *aliam* esse a Ratione *Naturæ*; quas nisi cautè distinguas, vix de Incarnatione satis sanè loqui poteris. Verbo, *Ens*, *Res* & *Substantia*, Scholis, ut & mihi, idem sonant; &, si *numericè* sumantur pro Individuis, *Suppositæ* vocantur; &, in Rebus intelligentiâ præditis, *Personæ*. Qui itaque *duas Res* ponit in *Homine* eò quòd *duas Naturas* habeat, *duo* quoque *Suppositæ* in Humanitate *Christi* (qui verus erat *Homo*) ponere debet; eò quòd *Numerica Res* (ut dictum est) *Suppositum* sit. Et, cùm in confesso sit, *Suppositum* etiam *Divinum* Christo competere, *Tria* profectò *Suppositæ*, seu *Trinitatem* quandam *Suppositorum*, in uno Christo cogentur ponere *Cartesiani*; quod novum atque inauditum est in Ecclesiâ Christianâ: Neque effugere ipsis ab istâ consequentiâ licet, quamdiu ubicunque est *distincta Natura*, ibi quoque distinctam esse *Rem* sustinent. Nam, cùm extra dubium positum sit esse *duas Naturas*, Corpoream scilicet, & Spiritalem in Humanitate Christi, eásque *Individuas*; &, unaquæque *Numerica* seu Individualis *Res* sit *Suppositum*; negari non potest, cum Corpus & Anima in Humanitate reperiantur, duo etiam Suppositæ in Humanitate Christi reperiri; quibus si addatur Suppositum *Divinum*, *Tria* omninò *Suppositæ* in Christo,

Deo & Homine ponenda ſunt. Quare *Suppoſitum*, ſeu *Res*, modò *Hæc* ſeu *Individua* ſit, eſt id quod *habet Naturam*, ſeu potius *Naturas* in ſe; non ut *componentes* Suppoſitum quod eas ſuſtentat, nam *Naturæ* illæ non tribuunt Rei quod *habeat* Naturam, ſeu ſit *Suppoſitum*; ſed ſunt extra Notionem ipſius, cùm unum eorum habeat Rationem *Habentis*, alterum, rationem *Habiti*. Dicendum itaque, ſi ſanè loqui velimus, quòd, cùm Suppoſitum Chriſti, utpote *Divinum*, totam Plenitudinem Exiſtentiæ atque etiam *Subſiſtentiæ* in ſe complectatur, idcircò adſumat ſibi *Naturam Humanam*, ex Corporeâ & Spiritali Naturâ conſtitentem; & uniat illas in uno *Habente* illa, hoc eſt, in *uno Suppoſito* ſeu *Perſonâ*; unde verè & propriè dici debet quod *Deus* (ſeu ſecunda illa Sacro-ſanctæ Trinitatis Perſona) ſit *Homo*; & *Homo, Deus*; & *Chriſtus*, horum uterque.

Poſitionem illam non eſſe Fidei Chriſtianæ Conſonam, ulteriùs demonſtratur.

28. Cùm Nodus iſte Vindice ſit digniſſimus, preſſiùs agemus, & demonſtrabimus iſtam Carteſianorum Regulam (eſſe *Naturas* nempe *Diſtinctas* Res eò quòd clarè & diſtinctè unam abſque alterâ concipimus) eſſe omninò *Lesbiam*, & Explicationem hujus Myſterii, uſque quâque ſanam non poſſe admittere. Sic itaque diſcurro. Non eſt Tautologicum aut ſenſûs expers dicere [Demonſtrabo hoc vel illud *ex naturâ Rei*,] eſt autem Tautologicum & Senſûs Vacuum ſi quis dicat [Demonſtrabo hoc vel illud, *Ex Rei Re*, vel, *ex Naturâ Naturæ*.] Quare evidentiſſimum eſt ex communi vocum *Uſu* ſeu *Senſu*, (hoc eſt, ex *Notionibus Humani Generis*,) aliam eſſe Rationem ſeu Notionem *Naturæ*, aliam *Rei*. Proximè diſpiciendum quid ſignificet [*Res*] modò non ejuſdem ſenſûs ſit cum [*Natura*,] vel quis ſit ſenſus vocis illius in hôc dicto [*Ex Natura Rei*;] Et comperiemus nullum alium excogitari poſſe vocum illarum ſenſum niſi iſtum, [ex Naturâ

quæ

quæ *ad Rem illam ſpectat*, vel *ei inest*, ſeu (quod tantundem eſt) *quam habet in ſe Res illa*.] *Res* itaque eſt quod *habet* Naturam; ac proinde, cùm *Individua Res* ſit id quod dicimus *Suppoſitum*, & *Anima* & *Corpus* in Chriſto non ad ſpecificam ſed ad Individualem rationem pertineant; neceſſariò dicendum eſt eſſe *duo Suppoſita* in Chriſto, in quantum eſt *Homo*; *imò*, ſi Natura & Res *idem* ſint, ſemper permanſura eſſe *duo Suppoſita* in Animâ & Corpore in Chriſto, quamdiu *duæ Naturæ* diſtinctæ in eodem manſerint; imò, modò eadem ſit ratio *Naturæ* & *Rei*, contradictorium omninò eſſet non ſemper manere in ipſo duo iſta *Suppoſita* jam dicta, quamdiu manent *duæ* ſeu *diſtinctæ Naturæ Animæ* & *Corporis*: poneretur ſiquidem *idem manere* et non manere. Et, cùm extra controverſiam poſitum ſit, Suppoſitum *Divinum* Chriſto Deo & Homini adfuiſſe; *Trinitatem* Suppoſitorum in Chriſto ponere, ex malè ſanâ doctrinâ ſuâ Ideali adigentur *Carteſiani*. Nè ſuccenſeas, Amice mi, non dico vel Carteſium vel ejus ſequaces non rectè de Myſterio illo *ſentire*, vel non *credere* ut alii verè Chriſtiani credunt; verùm, cùm B. *Paulus* (ad Tim. 2. cap. 1. ver. 13.) [Timotheum admoneat ut *habeat formam ſanorum verborum*, & maximè Chriſtianiſmi interſit ut etiamnum in violata retineatur; monendi eſtis ut cautè procedatis, neque ſenſum verborum, communi uſu traditum, Ideis a vobis ipſis elicitis nimium fidentes, immutetis; nè, progreſſu temporis, ſi ſequior ille vocum ſenſus obtineat, nova Fides, & novi Articuli, paulatim animis Fidelium inſinuentur. Undè profiteor, ſollicitudinem quam habui, nè Idearum veſtrarum doctrina, quæ rectis ſaniſque Fidei Explicationibus officere video, Injuriam doctrinæ divinitùs traditæ irroget, præcipuam mihi cauſam fuiſſe cur iis me oppoſuerim, & ſanam Philoſophiam introducendam

cendam cenſuerim; uti in Dedicatoriâ ad *Philoſ. Sol. Aſſertam*, ſusè expoſui.

Quo modo differt Demonſtrationes meas D. *Le Grand*, probantes Deum eſſe *per medium Objecti* in animis Fidelium.

29. Objicis §. 73. Enthuſiaſmum ſapere quòd dixerim Deum ipſum animis Chriſtianorum *per modum objecti* ineſſe cum cogitant de eo, vel cum *orant* vel *adorant*. Obſecro te ut perpendas quid dicas. Num in eâ circumſtantia de *aliâ* re cogitant, num *aliud* Objectum habeant, aut *aliud* orant vel adorant quàm *ipſum Deum*! Vel inde ſequi non vides *Deum ipſum* & non tantùm *ſpeciem* aliquam aut *Repræſentativem*, eſſe in mentibus eorum tanquam *Objectum*, dum hoc agunt? Nihilominùs, laudo te quòd Inſtantiam elegeris valdè aptam ac idoneam ad intentum tuum proſequendum; nempe, quò Lectoribus ſuadeas me eſſe ineptum ad tractandum de rebus Philoſophicis: Pendet ſiquidem Quæſtio iſta a Cognitione Rerum *Spiritualium*, & à modo operandi eis proprio; quæ Senſum & Phantaſiam tranſcendunt, & non niſi a *Ratione*, ſuper naturam Spiritûs ſedulò reflectente, attingi; ſeu ſolâ *Terminorum Connexione*, quæ tibi nec placet nec amica eſt, comparari poteſt. Tu appellas vulgus Lectorum; *Concluſionem*, pro Logicâ quâ polles, *negas*; & contra eam tuo more blateras. Ego ad Doctiſſimos Viros applicui; &, quò aliquid ejuſmodi Judicibus dignum afferam, quamplurima Argumenta adduxi (in Præliminario meo 3.) quorum non pauca eſſe Veras Demonſtrationes contra te & Carteſianos tuos ſuſtinere paratus ſum. Num tu vel *uni* ex iis reſpondes? Abſit hoc a Genio tuo: Longè compendioſior eſt tua reſpondendi ac confutandi Methodus: Ais p. 26. me *laboriosâ temporis jacturâ* eas compilâſſe, & p. 40. vocas *Rationes* meas, *Prævaricationes* & *Calumnias*; quod ſimulac dixeris, proh mirum! Diſſiliunt ſuâpte ſponte *Termini*, horum *quinque verborum* merè dictorum virtute quaſi magicâ; Connexio

nexio eorum soluitur, & Demonstrationes Meæ, absque *laboriosâ* certè *temporis jacturâ*, satis superque, tuo more, confutasti.

30. De re ipsâ alibi sæpiùs dixi, & posteà dicturus sum. Unicum Argumentum addam, quod te æstimaturum mille aliorum instar habere, nullus dubito. Dissertationis tuæ §. 18. Definisti *Ideam* esse [*Rem ipsam conceptam & intellectam*:] Atqui non negabis Fideles, dum *orant* ac *venerantur* Deum, habere *Ideam Dei* in mentibus suis: Infero; ergò, juxta te habent *Deum ipsum conceptum & intellectum* in mente suâ, cùm asseras *Ideam* esse *Rem ipsam* (hoc est *Deum*) *conceptum*; seu ut *Objectum* Conceptionis suæ. Subjungis, [*per quam Intellectionem res dicuntur esse objectivè in intellectu.*] Quæso, utrùm *falsò* an *verè* res *dicuntur* esse in mente per Intellectionem? Si falsè; tunc *Res ipsa* non est ibi, licèt *Idea* ibi sit; & tunc pessimè definiuisti *Ideam*: Sin *verè*, tunc Res ipsæ non solùm *dicuntur* esse ibi per Intellectionem, sed etiam *sunt ibi* per illam: Et tunc etiam *Aurei Montes* quos §. 36. ingeniosulus commemorâsti, ut & quæcunque *Res Concepta*, & ipsemet quoque *Deus Objectivè* (nam de nullo alio modo unquam somniavi) *dicuntur esse*, & *sunt* in intellectu nostro. At vereor ut fabulæ, mi Amice; &, propriis objectionibus territus, à dictis tuis non resilias: Nèc mirum; nam permagnum Phantasiæ offendiculum creat sententia ista. At nil metuas; sermonis quippe Christianis consueto optimè quadrat. Nôsti Patres Ecclesiæ solere dicere, bonos Christianos esse *participes Divinæ Naturæ*; quod nullo modò (præterquam in Christo) potest fieri nisi *per Cognitionem* seu *Intellectionem*. Nôsti nihil communius in S. Scripturâ quàm quòd *Spiritus Sanctus*, vel *Christus* habitet in *cordibus nostris* per *Gratiam*, vel per *Fidem*; hoc est, in *voluntate nostrâ*, quod Inexistentiam

D. *le Grand* suæ ipsius Doctrinæ, nescius est vel oblitus.

tiam eorundem *in Intellectu* præſupponit, vel potiùs dicit. Aſt valdè mirandum eſt te tuæ ipſius Doctrinæ adeò oblitum ut iſtud mihi objicias tanquam Fanaticiſmum redolens, niſi quòd noverim te vindicandi Malbranchii tui eſſe cupientiſſimum, cui ipſe Genii Fanatici notam inuſſeram. Videndum itaque quàm meritò hoc *Malbranchio* objecerim; & quam diſpar mihi ratio fuerit hoc ipſi objiciendi, præ illâ quam tu habes idem mihi retorquendi. Is in Præfatione Libri *de Veritatis Inveſtigatione*, dum Sermo erat de Humanâ Scientiâ acquirenda, non ſolum aſſeruit illam abſque Revelatione Divinâ haberi non poſſe; ſed etiam quòd *Mens immediatè*, imò *ſtrictiori & magis Eſſentiali modo uniri Deo quàm cum Corpore ſuo.* Quare, cùm Effectus *Unionis* ſit facere *Unum*, uniri *Eſſentialiter* eſt Eſſentiam Mentis *Humanæ* eſſe *Unam eandemque* cum Eſſentiâ *Divinâ*; hoc eſt, *Creatura* poteſt fieri *Eſſentialiter Deus.* Ad qualem dementiam ſeu potiùs Blaſphemiam, nulla ex Sectis Fanaticis hîc in Angliâ unquam devoluta eſt.

Quibus artibus eludat D. *Le Grand* Demonſtrationem meam quâ probatur Deum non eſſe Immediatam Motûs Cauſam.

31. Sententiam meam, de Causâ Primi Corporum motûs *Immediatâ*, exagitas §. 40. & §. 34. citas verba nonnulla quæ Theſin quidem meam continent; ſed Rationes in quas ultimò Veritatem illius reſolvo neutiquam exhibes. Eæ autem ducuntur a naturâ *Cauſalitatis*, & ex eò quòd Motus ſit *imperfectiſſimus* omnium Effectus; ac proinde a Perfectiſſimâ Causâ *immediatè* procedere eum non convenit. Verùm, cùm id demonſtraverim in Methodo meâ, p. 299. cui tu reſpondere non integrum duxiſti, non mihi incumbit ut eam hic *repetam.* Attamen, licèt Argumentis quibus id probavi nihil reſpondes, nihilominùs (ut Logicam tuam decet) confidenter *Negas Concluſionem*; & nonnulla contra eam oggeris; at tam nugatoria ut referre pudeat.

Dicis

Dicis itaque, 1. Mutationem in *Creaturis non in Deo poni debere.* Libens concedo. Sed quid hæc ad me qui, ex *omnimodâ Dissimilitudine & Contradictoriâ Oppositione* Causæ Immediatæ cum Effectu suo Thesin meam demonstro. 2. Ais me asserere *Vile opus esse ac Laboriosum*; & Dei *Essentiam* (quæ est ipsâ Existentia) *minimè decere.* Ubi, quæso, mi Amice, legisti usquam in Libris meis vocem illam [*Laboriosam*] quam tanquam meam citas & distincto charactere pingis? Nusquam. Quare itaque mihi, Falsarii more, illam affingis? Nempe, ut videar *Deum adoriri*, & in eum *Impium* esse; perinde ac si dixissem, Deum Angelis usum esse ad *Levamen laboris* & *Lassitudinis* quam cæteroqui sensisset, si se solo Motum causâsset. Imò observabit Lector quòd ubicunque de Divino Numine loquor, omnia illa quæ ad summam Reverentiam Ipsi atque Attributis ipsius exhibendam ac conservandam adduco, tu vel additamentis tuis, vel suppressione rationum mearum, vel perversione Sensûs, & Discursuum meorum tenoris, ad ignominiam aliquam Deo irrogandam transfers. 3. Hinc me *Epicuri cultorem* esse asseris, mihique persuasum esse *Deum Res Humanas non curare, sed ad Inferiores Spiritus delegare.* Et tamen probe nôsti quòd Method. Lib. 3. Lect. 5. latè ac fusè demonstrârim vel minimos totius Mundi Effectus à Providentiâ Divinâ proficisci; atque ad eam, tanquam Causam *Principalem* omnia in omnibus operantem, (licèt non *Secundam* & *Immediatam*) referendos esse. Dare *Existentiam* seu *Creare* soli Deo ut Causæ *immediatæ* tribuendum est, quia *Existentia* ei *Essentialis* est: unde a nullâ Creaturâ nè quidem ut *Instrumento* (ut somniabant *Ariani* de *Verbo* suo) ad mundum creandum usus sit. At *Immutabilitas* est etiam Deo *Essentialis*; ac proinde, ob eandem rationem, *Motus*, qui, cùm sit

Essen-

Eſſentialiter Succeſſivum, eſt perpetua *Mutatio*, à Deo (*eſſentialiter Immutabili*) tanquam à Causâ *Propriâ, Proximâ & Immediatâ*, procedere non poteſt: aliter quilibet effectus a Causâ, cujus natura eſt ipſi contradictoriè oppoſita, procedere potuit. Num decere *Sapientiam* Divinam arbitraris ordinare ut Lux a Tenebris, Calor a Frigore, Albedo a Nigrore, tanquam à Causâ *Immediatâ* producantur? Nonne vides totum Cauſarum & Effectuum Connexionem, totum Univerſi Ordinem, omnem denique Cauſalitatis rationem ex tam abſurdâ Rerum adminiſtratione overſum & peſſundatum iri? Tuum itaque eſt oſtendere quòd *ſapientius* ſit ut id quod eſt *Eſſentialiter Immutabile* ponatur eſſe Cauſa Immediata Motûs, cujus Eſſentia in *perpetuâ Mutatione* conſiſtit. Verùm tu concipis *Motum* eſſe *Rem* quandam quæ, diſtinctè a Materiâ, Creativam Actionem terminet; nam Erroribus etiam contra Prima ferè Intellectûs Principia, fœta eſt Doctrina tua. Dic itaque, obſecro, mi amice, cùm Creare ſit dare *Eſſe*, nonne oportet ut *in inſtanti* peragatur? Si hoc neges, affirmare oportebit Rem poſſe *dimidiatè Eſſe, dimidiatè non Eſſe*, quod ponit *Medium* inter duo *Contradictoria*. Si in inſtanti *creatur* Motus, tunc in inſtanti *eſt*; cùm *Eſſe* ſit Creationis Effectus. Poſſere autem Motum *Eſſe in inſtanti*, ponit id quod eſt *eſſentialiter Succeſſivum*, eſſe *Inſtantaneum*; & Indiviſibile quod *nullas* partes habere poteſt, correſpondere ſeu æquari *Diviſibili* quod *partes extra partes* habet; quod omninò repugnat, & pluſquam uno reſpectu Contradictionem involuit. At quid tibi in mentem venit, ut aſſeras me ubique *confundere Motum cum Mutatione*? Num, ſi quis dicat *Homo eſt Animal*, idcircò *confundit* rationem *Hominis* cum ratione *Animalis*. Scias itaque quod *Mutatio* dividitur in *Inſtantaneam* & *Succeſſivam*, tan-

anquam in ſpecies ſuas; *Succeſſivus* autem, *Motus* ſt. Unde omnis *Motus* eſt *eſſentialiter Mutatio*; propter eandem rationem, quâ dicimus *Homi-nem* eſſe *eſſentialiter Animal*; adeò ut, ſecundum D. *Le Grand* prædicare *Genus* de *Specie* ſuâ, eſt *confundere* unum cum alio. Pertædet me rem, ha-bere cum Adverſario, qui vix unum verbum ſa-ni ſenſûs ullibi profert.

32. Tot futilitates paſſim in §. tuo 37. coa-cervas, ut eum omninò præterire decreveram; ſed, ubi illum relegiſſem, mutavi ſententiam. Objicis me aſſerere *impreſſiones, in Senſibus factas, differentes eſſe ſecundum differentem, Objectorum, quæ illas imprimunt, Naturam.* Tunc, mi Ami-ce, Philoſophus haberi vis, qui id carpis quod toti Humano Generi notiſſimum eſt? Nonne experimur *Tactum* noſtrum aliter affici à Lapide vel Chalybe, quàm à Lanâ vel Aquâ? Quiſ-quamne ſanus negabit aliam eſſe impreſſionem in *Nares* à Roſâ, quàm ab Abſâ Fœtidâ? Quid quòd, ſi iſtud non admittis, unde *differentes* Ideas elicit Mens tua, præterquam a differentibus Mo-tuum Impreſſionibus, ab *Objecto* cauſatis? Per-gis, & objicis, quod *non Modos tantum*, ſed *Rem* etiam *ipſam, ejuſque Eſſentiam ipſiſſimam* imprimi Sedi Cognitionis doceam. Miſeret me tui, qui *Modum Rei* abſque *Re ipsâ*, cujus eſt Modus, vel *Rem ipſam*, abſque ejus *Eſſentia*, a quâ habet quòd ſit *Res*, ullibi reperiri poſſe exiſtimas. De-inde, me accuſas quòd *Accidentia* ſeu *Modas non a Corpore ipſo realiter diſtinguì* aſſeram, ſed *nihil aliud eſſe quam Corpus illud ipſiſſimum prout variè concipitur.* Adhibenda eſt hic Diſtinctio, mi A-mice. Verum quidem eſt quòd aſſeram, atque adeò demonſtrem, non eſſe eos Diſtinctos, tan-quam *Rem* a *Re*; (nam, ſi hoc dicatur, *Modus Rei* ipſa *Res* erit;) quam tuum quoque eſſe ſententiam negare non poteris, cùm eos non *Res* ſed *Modos*

Objectionibus nonnullis admodum frivolis reſponde-tur.

Rei

Rei appelles. Quare, ſi, prout *exiſtunt in Naturâ & extra intellectum*, diverſa Entia ſeu *diverſæ Res* non ſint; omninò ſequitur diſtinctionem eorum, ab Intellectu & à *modo* exiſtendi quem (ut Conceptus inadæquati *ejuſdem* Rei) ibi ſortiuntur, petendam eſſe. Unde Notione, Ratione ſeu Definitione eos diſtingui tum aſſero tum demonſtro: idque *Realiter*; cùm modus concipiendi quem in intellectu noſtro habent, *Realis* ſit. Et iam Conſequentias pro me facis: nempe, *inde ſequi quòd Corporis cujuſcunque Naturam ſeu Eſſentiam (quam*, inquis, *ejus Subſtantiam vocas) ex Impreſſionibus in Senſibus factis diſcerni ſemper deberi.* Ubi legis, obſecro, me abſolutè dicere hoc *ſemper* fieri, in circumſtantiis etiam maximè incommodis? Imò ubi legis quòd aſſeram nos *ullam* omninò de *Subſtantia* notionem habere, niſi ex aliquo *Rationis* interventu! Denique, quo in loco *legiſti* me *Naturam* ſeu *Eſſentiam* vocare *Subſtantiam?* Certè contrarium huic videre potuiſti in *Præliminario* meo Quinto, ubi vocum illarum ſignificationes exactè diſtinguo; & oſtendo [Naturam] ſeu [*Eſſentiam*] ſonare *qua* Res eſt id quod eſt; *Subſtantiam* verò *id quod eſt*, ſeu *Rem* ipſam quæ *per ſe*, ſeu ſine ope alterius exiſtit & ſubſiſtit, & Naturam ſeu Eſſentiam *habet in ſe*, Modiſque præſtat ut *ſint*. Sed hæc omnia nova non ſunt, cùm ferè ubique ſoleas quidlibet pro libitu tuo mihi imponere. Ais, *Naturâ Eſſentiali mutatâ, ſuperficiem Senſibilem, quæ ſola Senſum afficit, remanere.* Exemplis id oſtendis. Priora contendunt ſolo Senſu non diſcerni *ſemper* Subſtantias; & Ego dico, *Nunquam.* Ad poſteriora de petrefacto ligno, aio, nullâ ratione conſtare quin particulæ unius Corporis, particulis alterius intertextæ ſint; licèt inter illas, præ partium exiguitate diſtinguere, oculi acies haudquaquam valeat. Ultimum, quod pretendit *A-*

cum

Acum chalybeam Magnete tactam, ſtatim *Magnetem verum* fieri, nec probatur, nec probabile eſt, ſed ſtolidum & ridiculum. Communicari Acui *virtutem* Magneticam ex particularum admiſtione facilè concedo; at quòd *Externus Contactus* Internam Rei quam tangit *Eſſentiam* ſeu Conſtitutionem, *penitùs*, idque in momento, tollat atque immutet, eſt perquàm abſurdum atque ridiculum.

D. *le Grand* penitùs Ignarus eſt Doctrinæ quam impugnat.

33. Sed, quod caput eſt, doctrinæ meæ, licèt eam impugnare profiteris, penitùs Ignarus es. Non enim Rem ipſam quoad rationem *Subſtantiæ*, ſed quoad rationem *Modorum* ſeu *Accidentium* Senſum noſtrum afficere aſſero; Neque dico quòd ad Subſtantiæ notionem acquirendam, non opus ſit interventu *Rationis*, colligentis, ex eo quòd juxta Modum aliquem afficiamur, neceſſe eſſe ut ſit *Res* aliqua ſeu *Subſtantia*, à quâ afficiamur, & ad quam ſpectat *Modus* ille: unde *Subſtantiam* non *Senſûs* ſed *Intellectûs* proprium Objectum ſtatuo; licèt aſſeram quòd, abſque Senſuum ope, ejus notitiam attingere nequeamus. Quid quòd declarem particulas, è corporibus emiſſas, *Qualitates* tantùm eſſe cenſendas, quamdiu ad Subjectum aliquâ ex parte *Alterandum*, & non ad Complexionem Accidentium, quæ priùs ei inerat, penitùs tollendam efficaces erant. Vide qualis Philoſophus ſis, qui nè gradum quidem promovere potes quin cæſpites, nec quicquam de ſententiis quas impugnas, intelligas.

Perperàm à D. *Le Grand* proponitur ſententia illa de *Inæqualitate Animarum*, & de

34. Objicis iterùm §. 38. quòd *Animas Humanas eſſe Inæquales* aſſeram, & *Paradoxum* appellas. Quod vel ſignificat hoc eſſe *Inexpectatum* tibi, quod facilè credo: vel *Novum*, & tunc omnia *Carteſii* Placita *Paradoxa* erant. Pergis ſententiam meam proponendo; *Platonem* (inquis) *cum cæteris* (ſcilicet, *Petro*, *Paulo*, *Joanne*, &c.) *non Individua eſſe, ſed Species eſſentialiter differen-*

tes

Eſſentiali Individuorum Differentiâ.

tes contendit. Uſque adeò verecundiæ valedixiſti, mi Amice, ut vix quicquam Veri de me loquaris: Vel unum verbum afferto, in quo dixerim hujuſmodi Subſtantias Primas, ſeu *Individua*, eſſe *Species*, vel te Falſarium apertum manifeſtabis: Tria loca quò Lectori fucum facias, ſatis confidenter citas; & verba etiam ex ultimo ſubjungis; ubi nihil hujuſmodi invenitur, ſed tantùm quòd inter *Speciem* illam quæ vulgò habetur *Ultima*, & *Individua*, intervenire poſſint aliæ *Species Intermediæ*; ſed, quòd *Individua* illa *Species* ſint, nè verbum quidem. Verum quidem eſt me aſſerere ac probare quòd Individua illa *eſſentialiter differant*, eò quòd diverſa *Entia* ſint, (etiam in propriiſſimo *Entis* ſignificatu,) ac proinde *diverſas Eſſentias* habeant quibus conſtituuntur, ſeu *eſſentialiter differant*; at, quòd *Individua* ſint *Species*, quòd tu mihi affingis; neque Ipſe, neque quiſquam ſatis ſanus unquam dixit. Quod ad rem ipſam attinet; Num negabis *Rationalitatem* eſſe *Eſſentiam Hominis*? Non arbitror; Num dices, *magis & minùs Rationalis*, non conſtituere *Intrinſecas* Differentias Rationalitatis? At hoc demonſtratum tibi dedi, Meth. Lib. I. Lect. 3. §. 2.. Quid quæſo ad hæc reſpondes? Nempe, garris multa de *Exercitio* ſeu *Actu ratiocinandi*, quæ ad quæſtionem non ſpectat; Ais, ſed non probas *majorem* illum *Ratiocinandi gradum* eſſe *ſuſpenſum*; ais etiam non eſſe *vanum*, ſed quòd *in hâc vel in alterâ vitâ reflorèſcet*. Cùm neque id oſtendas de *hâc vitâ*; neque conſideras quod in *alterâ vitâ* nullum Ratiocinii opus ſore, eò quòd Actus Mentis in ſtatu Æviternitatis, inſtantanei & non Succeſſivi ſint in Animabus Separatis, etiam *omnibus*; ſpecatim in iis quæ Sanctæ ſunt; eò quòd perpetuâ Summi Entis *Contemplatione* ſeu *Intuitione* perfruuntur, neque ambagibus Diſcurrendi Veritatis Eſſentialis Cognitionem

nem investigant. Ais iterùm, *si æqualiter ratiocinarentur, non desinerent esse duæ Animæ vel duo Homines.* Quod mutat harum quæstionis & falsam mihi affingit sententiam: Nam, non de *Actibus* Ratiocinandi quæ *Accidentales* sunt, & quorum Perfectio vel Imperfectio sæpenumerò à Circumstantiis pendet, procedit quæstio; sed de Ratiocinandi *Potentiâ*, seu de ipsa *Rationalitate* quæ Homini *Essentialis* est; quamque *inæqualiter* participare Homines dixi, eò quòd multos observâtim ab ipso fui ortu, & per totam deinceps vitam, adeò hebetes & stupidi, ut *plus Rationalitatis* ab ipsâ sui Origine ac primigeniâ constitutione habuisse eas non possim non judicare; ac proinde multos qui *simili gradu* Rationales sunt, posse novam (ut ita dicam) *sub-Speciem* Hominis constituere. Denique video te, mi Amice, adeò Sciolum esse ut pines idem sonare [*specifice*] & [*essentialiter*] cùm tamen toto cœlo distinguantur: *Essentia* quippe formaliter ad *Constitutionem Entis* spectat; *Species*, ad *Abstractionem Mentis*: De Rationibus *Essentialibus* tractare ad Metaphysicam pertinet; de ratione *Specifica*, ad Logicam; neque plus affinitatis habent quàm *Isosceles* & *Syllogismus*. Verbo, [*Ens*] in primo ac propriissimo sui significatu, de *Individuis* dicitur; ac proinde [*Essentia*] quoque, quæ *Individuum Ens* constituit, in primo etiam suo significatu de *Essentiâ* dicitur *Individuali*. Unde sequitur, quòd, cùm *duo Individua* differant sub ratione *Entis*, necesse sit ut *essentialiter* differant.

35. Licèt tu vim quam habet Ratio mea ad demonstrandum quòd Animæ sint *Inæquales*, non *premas*, sed leviter solummodò *tangas*; Lectoris tamen gratiâ eam repetere non pigebit. Est autem ea hujusmodi. Providentia Divina *disposuit omnia suaviter*; Ergo, attemperat aptâtque *Formas* quæ superveniunt, & adjungendæ sunt

Probatur sententia illa Demonstratione *Physicâ*.

Materiæ ipsis Propriæ, ad ejusdem Materiæ Dispositionem seu Exigentiam. Porrò, affero esse Primigeniam aliquam Constitutionem, singulis *Individuis* in primo sui ortûs seu generationis Instanti Propriam; per quam habent quòd sint *Hoc* vel *Illud*; Undè, in Embryonibus (qui sunt *Propria* Animæ, tanquam *Formæ* ipsorum, *Materia*,) singularis illa Dispositio consistit in hoc, ut sit tali gradu *Aptum* quasi Instrumentum, seu Coadjutorium Animæ ad Ratiocinandi Operationem; nec tu videris hîc abnuere, dum concedis *peculiarem quandam in Corporibus esse Dispositionem, quæ Animabus propriis solùm* competat. Infero; Ergo, si Embryonum unus magis *dispositus* fuerit, ex parte suâ, ad Ratiocinii opus; etiam Anima Propria, quæ ad ipsam aptanda est, ex suâ quoque parte *magis apta* erit ad Ratiocinandum, seu *magis Rationalis*; indéque Compositum ex utroque *magis Homo* est, & *essentialiter* (ut nuper probatum est) ab aliis sub specie *Hominis* distinguitur. Unde D. *Aquinas*, 1. q. 83. q. 7. c. ait, *Diversitatem in Nobilitate Animarum sequi ex Nobilitate Corporum*; scilicet in *hoc* statu. Opponis, *aliam esse rationem Animæ, & Hominis*, seu *Compositi*. In multis equidem concedo; at, quantum ad eam considerationem de quâ agitur, eadem prorsus est ratio utriusque: Nam, si *Embryones*, quoad Dispositionem ad subserviendum Animæ in Ratiocinandò, sint *Inæquales*, (seu, ut D. Aquinas, *Nobiliores*;) & Animæ proportionatæ fuerint *propriis* Embryonibus; tunc *utraque* Pars Hominis, ac proinde ipsum *Totum* Compositum seu *Homo*, ex ipso sui Ortu (hoc est, *essentialiter*) differet ab *alio Homine* per *majorem* Rationalitatis *Gradum*; cùm, loco suprà citato, demonstraverim, omnes Differentias *Intrinsecas*, etiam Individuales, per *plus* & *minus* de Notione Communi, & non aliunde, constitui posse.

36. Mira-

36. Miraberis forsan, mi Amice, si aliud Paradoxum tibi proponam, quod *prius* istud de Inæqualitate Animarum ultra omnem comparationem excedit. Nempe, quòd Impossibile sit ut aliquæ *duæ rationes*, sub ullo communi Genere vel Specie constitutæ, seu aliquæ *duæ Res*, participent *æqualiter* Genus vel Speciem suam; ac proinde necesse esse, ut *omnia* omninò in Universo, sive sint *Res*, sive *Modi Rei*, sint *Inæqualia*. Miraberis, inquam; nam tu miraris & Paradoxum reputas omnia ferè Prima Principia, saltem quæ Primis contigua sunt, qualem esse sententiam istam meam demonstrabo. Insolita etenim & insueta sunt Tibi Tuisque hujusmodi Veritatis Fundamenta; ac proinde, tanquam *Monstra* vobis videntur. Sic itaque discurro. Si *duæ Species* sub Genere aliquo, vel *duo Individua* sub aliquâ Specie, *æqualiter* Notionem superiorem participent, nihil habere poterunt quo distinguantur seu *differant*; modò præcisè, prout sub *illo* Genere, vel *illâ* Specie, contenta, considerentur; cùm sub *illâ* ratione nihil habeat illorum Unum quod Alterum non habeat. Sit itaque *Rationalitas* Essentia Hominis, seu *æquivalens Humanitati*; dico, quòd, si *Petrus* v. g. sit *æquè* Rationalis, seu *æquè* Homo ac Joannes, nihil habebit *unus* eorum præ *altero* cur, sub præcisâ ratione *Hominis*, *differat* ab illo. Si dicas, esse Aliquid; tunc insurgo. Illud *aliud* quod unus habet *præ alio* in ratione *Rationalitatis*, seu Humanæ Naturæ, vel est *Essentiale* vel *Accidentale*: Si dicas esse Accidentale; tunc supponit *Essentiam* (de quâ solâ quæritur) jam constitutam, & supervenit ei. Sin dicas esse *Essentiale*, seu (in nostro casu) *Rationale*; tunc, si Unus sit *æquè* Rationalis ac Alter, neuter eorum quicquam habebit quo, sub illâ præcisè ratione, ab Altero *differat*; ergo, cùm *non differant* sub ratione

Probatur eadem, Demonstratione *Metaphysicâ*, seu ex Altissimis Causis deductâ.

tione istâ, ex ipsis Terminis habetur quòd illi *duo* sint *Unum* & *Idem* secundum illam considerationem, seu *Unus Homo*; & non *Unus* & *Alter*, quod est contra Suppositionem; imò & Contradictorium; essent siquidem simul *Unum* & *non Unum*, sed *Duo*, secundum eandem rationem seu respectum. Unde sequitur manifestè, quòd rationes quibus Res illæ seu *Homines* essentialiter (vel tanquam duo Entia seu Res) sub *Hominis* Notione differunt, seu *Differentiæ* earum *Intrinsecæ*, non aliunde quàm à *majore* vel *minore* (hoc est, *Inæquali*) participatione Superioris Notionis, seu per *plus* & *minus* de illâ, desumendæ sint. Idem dicendum de duobus *Quantis* juxta præcisam Quantitatis notionem consideratis. Sumantur enim duæ Panni & Ligni partes, quarum utraque sit *Ulnaris*; nonne Evidens est, quòd, cùm quoad meram Quantitatis notionem sint prorsùs *Æquales*, nulla sit *differentia*, quoad *hunc* respectum, inter illas; ac proinde quòd *Eadem* sint Quantitates illæ, & non *Duæ* seu *Distinctæ*? *Subjectis* quidem differunt; sed, hoc *Extrinsecum* est ipsis, prout præcisè ut *Quantitates* considerantur. *Intrinsecæ* autem harum Differentiæ, ab *Inæqualitate* Genericæ notionis sumi debebat; quæ cùm hîc desit, *Eadem* proinde atque *Una Quantitas* utrobique, ex defectu *Differentiæ*, reperitur. Idem denique (ut alia omittam) de Primis *Entis* Speciebus, *Corpore* scilicet & *Spiritu*, & propter eandem rationem, dicendum. Nam, cùm *Entis* notio sit quòd sit *Capax existendi*, si duæ illæ Species notionem illam *æqualiter* participarent, nihil esset quo *differre* possent præcisè ut *Entia* sunt; ac proinde non *duæ* sed *una* tantùm *Species* erit Generis illius, quod Contradictionem sonat. Quare (ut hæc applicemus) idem quoque de *Animâ*, *Embryone*, & *Homine*, pari ratione, affirmandum est; nempe, quòd, si *Æquales*

fuerint

fuerint secundum rationes *Animæ, Embryonis* & *Hominis*, nulla ratio excogitari possit cur sub illis præcisè Notionibus distinguantur. Quod si non *distinguantur* secundum illas rationes, patet *ex ipsis* Terminis *duas* illas *Animas* &c. non esse *Duas* sed *Unam* & *Eandem*, quod implicat. Vides hîc, mi Amice, quod his qui *Terminorum Connexione*, & non *Ideis* a semet elicitis, cogitationes suas gubernant, permulta esse tum Vera, tum evidenter *Demonstrabilia*, quæ Tibi tuisque, juxta Ideas (nescitis quas) omnia metientibus, *Mysteriosa* & *Monstrosa* apparent. Vides hanc sententiam meam quam impugnas ac derides, tam necessario Veram esse, ut ab illius Certitudine *Distinctio* Rerum in *totâ* Naturæ Universitate, imò Distinctio non solùm *Entium*, sed *Modorum* etiam omnium sub eodem Communi Genere contentorum, & magna quoque Logicæ Artis Pars, integrè pendeant. Vides denique hîc, id tibi ex Communissimis & ex-se-evidentissimis Notionibus, seu (ut Metaphysici appellant) ex Altissimis Causis (quales sunt, *Ens, Unum, Idem, Diversum*) Demonstratum; quod tu, tanquam *Paradoxum* & Ridiculum, risus & scommatibus excepisti. His *Speculis*, & non imaginariis tuis, te *transspice*, vel potius tum *Teipsum*, tum Lectores meos quoscunque (quibus id opus erat) ad Sanam Philosophiam, seu Veritatem, reducere conatus sum. Utinam tibi prosit.

37. Dices, si quilibet Inæqualitatis *gradus* novum Ens (v. g. Hominem) constituit, & *Inæqualitates* illæ ubique reperiuntur, fore ut singula Individua *Speciei* differant. At nego tuam consequentiam. Nam ratio *Specifica* (ut & Generica) fit per Mentis nostræ Abstractionem, reflectentis seu advertentis quod major vel minor Modorum seu Accidentium Complexio, in pluribus vel paucioribus Individuis reperiatur.

Gradus Inæqualitatis quæ diversas Species constituunt, debent esse *Notabiles*.

Non poteſt autem Mens Humana advertere ſeu conſiderare Gradus illos qui *Imperceptibiles* ſunt. Quare, Gradus illi debent eſſe adeò *Inſignes* & *Notabiles* ut ſub conſideratione noſtrâ cadant; ſeu tales, ut Humano Generi *appareant*, & aliquæ inter illas *Differentiæ*, ſeu differentes Inæqualitates obſerventur. Aliter enim ab iis *abſtrahere* non valebimus, neque eas in Unam Communiorem Notionem compingere.

Quibus artibus uſus ſit D. *Le Grand* in reſpondendo *Demonſtrationibus* meis. Angelum eſſe Immutabilem poſt primum Inſtantem ulteriùs demonſtratur.

38. A ſtabiliendâ Veritate, quod mihi cordi ſemper fuit, ad reſpondendum futilitatibus inaniſſimis, neſcio quo meo fato, compellor. Paragraphus tuus 39. totus Invidioſus eſt. Demonſtraveram, in *Methodo* meâ, p. 307. Angelum, non poſſe mutari poſt Primum Inſtantem, ſed deinceps prorſus Immutabilem manſurum; in aliis etiam locis idem probavi. Quid tu? Demonſtrationes meas celas, *Concluſionem* (ut Logicæ tuæ ſolenne eſt) *negas*; at nec ratione ſolidâ oppugnas, ſed raptim mordes, & ad aliam rem fugis: &, quâ es confidentiâ, te Lectoribus tuis affatim ſatisfeciſſe præſumis. En tibi unam ex Demonſtrationibus illis; cui ſi tu, Carteſianis tuis adjutus, reſpondere valeas, non dico cauſam quin Lauream (quòd unum ambire vidêris) reportaturus ſis. *Ens* (Creatum ſcilicet) dividitur in *Diviſibile* & *Indiviſibile*; ergo *Species* Entis, per has Differentias Contradictorias conſtitutæ, in ſolâ Generícâ ratione *Entis conveniunt*, ſeu, in hoc quod *poſſint eſſe*; in aliis omnibus *diſcrepant*; idque *Contradictoriè*. Cùm itaque de *unâ* Entis *Specie*, (nempe, Corpore) inter alia verè ac literaliter affirmare cogamur quòd ſit Quantitativum, Mobile, ac proinde habeat *partem poſt partem, & non omnes partes ſimul*, hoc eſt, quòd ſit *Succeſſivum* in ſuis operationibus; de *Altera* proinde Specie, viz. *Spiritu*, affirmare cogemur quòd in operationibus ſuis *Simul-*

multaneus seu *non-Successivus* sit. Quam Demonstrationem esse Concludivam, & a *Teipso* tuisve insolubilem sustinere paratus sum. Quo autem modo hîc te geras jam expendendum est. Scilicet, Objectiones adducis quas ipse adversus meipsum posui, iisque respondi; ut videre est in *Methodo* meâ a p. 316. ad p. 322. Quid de te judicabit Lector, mi Amice, qui posthabitis, imò protritis, omnibus Disputandi Regulis, & contra Candorem à cunctis Viris Ingenuis usitatum, 1. *Negas Conclusionem.* 2. Eam impugnas Objectionibus *meis*, iam à meipso *solutis.* 3. Objectiones *meas* pro *tuis* venditas. 4. Solutiones *à me* datas non agnoscis, sed *supprimis.* Denique, post tot Prævaricationes, omnis ingenuitatis expertes, triumphantis more exultas? Asseris Angelos aliquando *stetisse.* Vocularum es venator, mi Amice, sani sensûs indigus. Quid per vocem illam [*stetisse*] intelligis? Num [*fuisse in Cœlo*?] Vide, qualis Philosophus & Theologus sis! Si in Cœlo erant, fruebantur Visione Beatificâ, Beati erant, *Satiati* erant; quare, non poterant quicquam *amplius* desiderare; nec proinde *peccare* aut *cadere*, magis quàm Beati Angeli qui *jam* in Cœlo sunt, Deóque perfruuntur. Tu vis ad Animas Separatas dicta mea traducere. Ubi invenis istud in Libris meis? Consequentia ista tua est, non mea. At subolet mihi astutia tua. Paras Defensionem te dignam: Nempe, ut cum te Ratione prostratum videris, apud Inquisitionem forsan, amicorum tuorum ope, Librum meum deferas, ut *damnetur*; & tunc *Cartesium* tuum strenuè à te vindicatum, & Adversarium tuum egregiè confutatum triumphaturus es.

39. His non contentus, ad altiora & magis invidiosa proveheris, & me *ægrè ferre ut piè sitientes Animæ ante supremum diem liberentur*; imò *Deum ipsum* me *adoriri* prætendis; eúmque (ut putas) quòd De-

Nonnullæ invidiosæ Calumniæ

um oppugnem, ſolutæ ac retortæ.

putas) *vel adeò impotentem ut earum deſideriis ſatisfacere non poſſit, aut adeò Inexorabilem ut non velit.* Cruce philoſopharis, mi Amice. Nam, ſi *Sapientiæ* Divinæ, juxtà ipſarum rerum naturas Mundum adminiſtranti, id non convenit; non poteſt Deus non eſſe *ſummè Sapiens*, nec proinde id facere. Nonne noſti quod apud Philoſophos & Theologos idem ſonet [*Deus non poteſt hoc facere*] ac dicere quòd [*Contradictionem involvit*] vel [*eſt oppoſitum alicui Divini Numinis Attributo?*] Nonne audiſti etiam quòd omnes Theologi aſſerant *Deum non poſſe mentiri?* Quid ampliùs feci ipſe, qui, ex oppoſitione quam hoc vel illud Divinis Attributis habet, idcircò id non fieri poſſe arguo? Quid quòd Philoſophi, cum dicunt Deum *non poſſe aliquid facere* eò quòd naturis rerum repugnat, loquuntur de Potentiâ Dei *Ordinariâ*, juxtà quam Communem Mundi curſum adminiſtrat; non de *Extraordinaria*, ſeu Miraculoſâ; quod totum diſcurſum tuum jugulat. Unde memini me alicubi dixiſſe, *ſatius eſſe* dicere [*Non poteſt fieri ut Deus hoc faciat*] quàm abſolutè, [*Deus non poteſt hoc facere.*] Sed, ut omnibus pateat, te hoc mihi objeciſſe *Carteſii* causâ, non *Dei*, obſervandum eſt te induſiſſe *Carteſio* tuo, licèt audacter & triumphabundi more exclamârit. (Medit. 2.) *Nunquam efficiet Deceptor ille ſummè potens ut nihil ſim, quamdiu me eſſe aliquid cogitabo.* Vides hîc, quòd licèt *ſummè*, hoc eſt, *Infinitè, potens* ſit Numen aliquod, tamen aperte & confidentiſſimè aſſeruerit non poſſe *tale* Numen, quale Deum eſſe cognoſcimus, ipſum decipere in re quæ videbatur ipſi eſſe evidentiſſima. Quàm beatus ſum Ego qui non *provocantis* more quicquam hujuſmodi ſcripſerim; & quàm Fœlix *Carteſius* tuus, cui, licèt *provocârit* Deum ad vires & Potentiam ſuam penitùs exerendam, verba tam malè ſonantia pronunciare

nuciare licuit, & tamen ex prærogativâ quâ eum donasti, *impune*, hoc dixit; imo immensis Laudibus ob hoc dictum à suis concelebratur. Quod ad alteram illam Calumniam spectat, Non est *Inexorabilis* Deus, aut non *Infiniti Bonus*, eò quòd non audiat piorum Fidelium preces, ante tempus à Divinâ Sapientiâ, cujus est Bono Universi prospicere, statutum. Quamdiu, obsecro, orârunt Sancti Antiquæ Legis, ut veniret *Messias* ab initio promissus; & tamen ante *Plenitudinem Temporis* hoc non fuit concessum. Quamdiu ardentissimis votis Felicitatem Cœlestem petebant, & piè sitiebant, nec tamen desiderii sui compotes facti sunt, donec Christus, *devicto mortis aculeo aperuit credentibus regna Cælorum*? Tu ne Deum tanquam *Inexorabilem* culpabis si quod petis, quando tibi visum fuerit, non concedat? Aut nescis diuturnam Mentis ad Deum in fundendis precibus applicationem ampliori beneficiorum abundantiâ compensandam ac remunerandam? Utique adeò nihil sibi, nihil solidi, sive in Philosophiâ, sive in Theologiâ, sive etiam in modo quo Piæ Animæ orare debeant, à te expectandum est.

Aliæ objectiones futiles confutantur.

4o. Interpretatiunculas tuas S. Scripturæ factas detortas, quibus p. 33. abundas, nullas facio, donec te idoneum esse ejusdem Interpretem probes. Nunquam offendes, licet id prætendas, me sententiam ullam *meam* hujusmodi Argumentis *fundare*; sed *ex naturâ rei* de quâ agitur, Rationes meas depromere: licet Apostoli *Jacobi* verbis usus sim, eò quod nullas alias unquam reperirim, quæ oppositionem Divinæ Naturæ ad Mutabilitatem omnem (unde sequitur Motum esse Effectum eidem dissimillimum nec proinde *immediate* a Deo produci) datâ occasione citaverim. Multa futilia, hoc in loco, hic illic spargis. Nempe, *Deum omnia fecisse, omnibus omnia dare*,

dare, quod *in Ipſo vivimus, movemur & ſamus*! Quàm frivola ſunt iſta, dùm de *Immediato* tantummodò Agente ſermo eſt. Ais præterea Motum eſſe in Mobili, quod nemo negat. Quod Deus inſtantaneè *Materiam & Motum* creaverit; cùm tamen *Motus*, (abſtrahendo à Materiâ ſeu Subjecto) non ſit *Ens* ſeu *Res*, nec proindè Exiſtentiæ *ex ſe* capax; unde nec Actionis Creativæ, cujus eſt dare *eſſe*, Terminus diſtinctus (ut tu ponere vidêris,) eſſe potuerit. Deinde, Definitiones Motûs, abſque ullâ occaſione affers, à *Carteſio* aliiſque, *rectè* (ſi qua tibi fides) factas; quæ tamen a verâ Logicâ, etiam Sophiſtis notâ, penitùs abhorrent. *Genus* ſiquidem in omni Definitione debet eſſe *Latior* & *Communior* quàm ſit *Definitum*: cùm tamen [*Tranſlatio*,] & [*Applicatio*,] quæ in iſtis Definitionibus pro *Genericâ* ratione ponuntur, ſint *Motus quidam*, ſeu quædam *Species* Motûs in communi. Unde doctiſſimi tui Carteſiani *Genus* per *Speciem* ſuam definiendum exiſtimant; quod perinde eſt ac ſi quis *Animal* definire cupiens, *Hominem* loco Generis poneret. Pergis, & aſſeris *Corporum occurſum eſſe Secundam & particularem Motûs Cauſam*: At, quare *Angeli* miniſtrantes non poſſint & debeant eſſe *Cauſæ Secundæ, Immediatæ* & *Inſtrumentales* Primi Motûs, quod ſolùm in quæſtione eſt, licèt Deus ſit Prima, Principalis & Remotior, quæ dat illis tum *poſſe*, tum *actu movere*, nullam prorſus rationem affers. Denique *an* hoc & illud; & ſtrenuè *aſſeris*, ut nihil *probes*.

Quòd, & quomodo Annihilatio ſit Impoſſibilis.

41. Annihilationem quod attinet, tractavi ſatis largè de quæſtione illâ in ſcripto quodam, quod oſtenſum eſt amico noſtro D. *Baſſetto*, &, uti ipſe dixit, ad te, me inſcio, tranſmiſſum: Ubi è multis Divini Numinis Attributis, aliiſque argumentis demonſtratur tum eſſe eam Impoſſibilem, tum non fieri ut *Deus*, qui eſt ex ſuâ parte

Actualitas

Actualitas Infinita, *ſuſpendat* Actionem ſuam Conſervativam: Ubi etiam de *Libertate* Dei ad Creaturas Creandas aut Conſervandas (quam te non intelligere ſatis video) liquidò diſcurritur, & Objectiones ſolvuntur. Licèt fruſtrà id præſtabitur Tibi, cui nihil rectè intelligere decretum eſt; Lectorum tamen causâ ulteriùs aperiendum eſt Difficultatis hujuſce punctum. Dico itaque, 1. Idem ſonare apud Philoſophos [*Deus non poteſt hoc facere*] ac dicere quòd ſit [*Impoſſibile*;] unde cùm [*Poſſibile*] ſit proprium *Potentiæ* omnis, etiam Infinitæ, *Objectum*; nihil exinde ab Omnipotentiâ Divinâ detrahetur; magis quàm detrahitur à Potentiâ *Viſivâ* quòd non poſſit videre *Subſtantias* rerum vel *Spiritalem* Naturam, quæ *non* ſunt *Objecta* illius Potentiæ, ſed *Invisibiles*. 2. Philoſophi, cum aliquid eſſe *Poſſibile* vel *Impoſſibile* pronuntiant, ad *præſentem* Mundi ſtatum, & Cauſarum Secundarum Ordinem reſpicere. 3. Aliquid proinde ſecundùm Mundi Curſum Ordinarium & Naturas Rerum, juxta quæ Deus, Providentiâ ſuâ *Ordinariâ*, mundum regit, eſſe *Contradictorium* & *Impoſſibile*; quod tamen *Deo*, ſecundum Potentiam ipſius *Extraordinariam* ſeu Miraculoſam, quâ *Naturas* rerum ſibi *ſubdit*, Poſſibile eſt. v. g. Impoſſibile erat Viſum cæco reſtituere ſputo luto commixto, per Cauſas modo *Ordinario* gubernatas; quod tamen Chriſtus, *miraculosè* operans, de facto præſtitit. 4. Omne illud eſſe abſolutè & *omnimodè* Impoſſibile pronuntiandum, quòd Attributis Divinis repugnat. Unde *Pii* & non *Impii* in Deum cenſendi ſunt, qui, hâc ratione adducti, aliquid eſſe Impoſſibile aſſerunt. 5. Tute concedis impoſſibile eſſe id facere per Annihilationem tanquam *Actionem*, dum vim Argumenti mei ex ratione *Actionis* deducti agnoſcis; at multò potiori jure Argumenta illa admittenda ſunt quæ ex Repug-

pugnantiâ ad Divinum aliquod Attributum du-
cuntur. Unde, vel Solidis rationibus proba-
dum tibi erit quòd *nulli* Attributo Dei repugn-
Annihilatio, vel concedis totum. Sed non ti-
usu venit quicquam hujusmodi vel *tentare*: Con-
clusionem negas, invidiosum nescio quid ei obbla-
teras, & actum esse de Argumento existimas, li-
cèt illud nè quidem *tetigeris*. 6. Annihilationem
fieri per *Suspensionem* Infinitæ Actualitatis Divi-
næ, esse contra aliquod Attributum Dei, mi-
ad Principia Metaphysica attendenti, omnino
persuasum est. Nam Actualitas illa non est In-
finita, sed ex parte aliquâ *deficit*, quæ non ab-
exercetur in Effectu illo producendo, quæ sibi
soli proprius est; modò sit capacitas ex parte
Subjecti, & Subjecto illi immediatè applicetur.
Cùm itaque Creatura æquè capax erat *existendi*
in instanti quo annihilata supponitur, ac ante;
& reliqua omnia requisita hic adsint & corre-
spondeant; & *Exercitium* Potentiæ quando nulli
alii Attributo repugnat, ad *Infinitam Actualita-
tem* pertineat (ut demonstrabile est in Metaphy-
sicis,) omninò dicendum est Infinitam Dei Actu-
alitatem semet, in omni tali circumstantiâ, *exer-
cituram*; hoc est, *continuè* creabit seu conserva-
bit Creaturam; nec proinde quicquam annihi-
lari potest. In hâc ratione *Infinitæ Actualitatis*
Divinæ fundatur (quoad modum nostrum dis-
currendi) *Bonitas* Dei infinitè Communicativa
sui, quantum Subjectum est *capax*; unde & in
Processione Personarum in *Divinis*, ubi nulla ca-
pacitas deesse potest, de facto etiam Deus *infi-
nitè* se communicat. Neque hoc obstat *Libertati*
Dei. Nam is *Liber* est qui *secundum inclinatio-
nem suæ Naturæ*, & non coactus ab *Extrinseco*
agit; licèt ad hoc quam maximè *determinetur*;
modò Determinatio illa ab *Intrinsecâ* suâ naturâ
procedat. Quare, cùm Deus ex propriâ naturâ
sit

Infinita Actualitas, & Infinitè Bonus, eò *magis liber* censendus est, quòd juxta Naturæ suæ propensionem, a seipso ad agendum *determinetur*.

42. 7. Ratione *circumstantiarum* multa non conveniunt Naturæ Divinæ, ac proinde *Impossibilia* sunt, quæ tamen, sepositis illis circumstantiis, ab Omnipotentiâ Dei peragi potuerunt, v. g. Christus oravit Patrem (Marc. 14. 35.) ut, *si fieri possit, transiret ab eo hora*; Passionis scilicet; Et versu proximè sequente asserit *Omnia* Patri suo *possibilia esse*. Dices tu Patrem Æternum Orationem Filii sui dilectissimi rejecisse? Absit. Vides itaque nonnulla Deo *Possibilia* & simul *Impossibilia* esse sub diversâ consideratione; *Possibilia*, si *sola* spectentur; *Impossibilia*, quia sapientiam ac Veracitatem Dei non decebat ut non implerentur Scripturæ. 8. Ex dictis evincitur, quòd, si Deus per Omnipotentiam suam fecerit, ut res aliqua *Incapax Existentiæ* fiat, ipso facto desinet esse vel annihilabitur; nec tamen, in eo casu, quicquam de Attributo aliquo Divino imminuetur. Unde itaque habet Res ut sit *Capax existendi*? Nempe ex eo quòd ita Determinata sit Materiæ Potentia seu Indifferentia, ut sit *Hoc* vel *Illud*, seu *Individuum*; cùm Rem-*in-communi* existere, seu quæ non sit vel *Hæc* vel *Illa*, evidenter Impossibile sit. Quare, posito quòd Deus Determinationes istas, seu Completionem Accidentium auferat à Materiâ, & impediat nè aliæ succedant, ipso facto reddetur *Incapax* existendi Res illa, & esse desinet seu annihilabitur: Neque tamen inde sequetur *Actionem* (nam Annihilatio *Actionem* quandam sonat) posse esse sine *Termino* seu *Effectu*; neque ulli Attributo Divino imputabitur Defectus; neque Mutatio aliqua ex consequio ponetur in Deo, quatenus inducere Suspensionem Infinitæ Actualitatis Divinæ existimo; sed in Impossibilitatem ut

Eadem sententia clariùs exponitur.

Creatura

Creatura *exiſtat-à-ſe*, vel ut Res *non-determinata* exiſtere poſſit, rejiciendum eſt quòd Exiſtentiam perdat, ſeu annihiletur. Deus itaque in eo caſu, non erit *Immediata* Annihilationis Cauſa (quod *à-ſe-Exiſtentiæ* repugnat;) ſed, quòd recidat in *Nihil* Creatura, in *Defectuoſam* ipſius conditionem integrè refundetur. Hæc perpendas, obſecro, mi Amice, & perſpicies Annihilationem ideò à me negatam, vel quòd ſonet Actionem ſine aliquo Effectu, vel quia alicui Attributo Divino contrarietur: unde *obturabitur* tibi os dum ais me *Impium* & *Injurium* eſſe in *Deum*; cùm Evidens ſit me, dum hæc ſuſtineo, Honori Divini Numinis conſuluiſſe; & Attributis Divinis nè quid minùs dignum iis imputetur, officiosè proſpexiſſe.

Quo modo Annihilatio, ſi poſſibilis ſit, fieri poſſit.

43. Quæres, an Deus auferre poterit Determinationes omnes a materiâ, & *impedire* nè novæ ſuccedant. Reſpondeo, meam quidem eſſe ſententiam quòd ſecundum Potentiam ſuam *Ordinariam*, non poſſit: an per Extraordinariam id perfici poſſit, candidè profiteor me planè *neſcire*. Miraculoſum certè erit & contra ſtatutum rerum curſum; unde niſi Ratio id poſtulet & occaſio exigat, id fieri poſſe non exiſtimem. An verò talis occaſio unquam fuerit, aut futura ſit, ſoli Deo cognitum eſt. Interim, prejudicium ingens affirmativæ ſententiæ appingit, quod Potentiam in Deo ponat æternùm *Otioſam*; ut quæ nunquam (quantum nobis innotuit) prodiit hactenùs in *actum*; cùm nunquam à quoquam aſſertum ſit quòd ab Orbe Condito unquam ſe *exeruerit*; at nec ab ullo quòd ſe *exertura ſit*, præterquàm a nonnullis male ſanis; qui, Æternas Gehennæ pœnas horrentes, non alias eſſe eas quàm *Annihilationem* æternam imaginantur. In quorum præcipuè Confutationem, cùm ipſe ſententiam iſtam propoſuerim

posuerim, & defendere conatus sim; non abs re erit unum adhuc argumentitium addere; scilicet, opinionem eorum Justitiæ Divinæ injuriam esse, nec proinde ponendam. Nam ad Justitiam Divinam essentialiter spectat *punire peccatores*, & *quamdiu* peccant. At, cum jam in Termino hujus vitæ, seu in fine Motûs positi sint; &, in *Esse* tales quales fuerunt hîc, æternùm stabiliti; sequitur quòd æternùm peccaturi sint, ideòque æternùm punientur. Quod si Annihilentur, nullâ pœnâ affici poterunt; nec proinde Infinitæ Dei Justitiæ consultum erit. Cùm itaque implicet ut Deus possit esse non-Justus, annihilari eos impossibile est.

44. Pag. 37. adeò confertam Absurditatum farraginem conglomeras, ut vix sciam unde incipiam. Ais Primò, *si Deus non posset conservationis Actionem suspendere quia Bonus est*, ob eandem rationem, cum *finem huic Mundo nunquam positurum*. Quasi verò ad Bonitatem Dei non spectaret ut *adveniret Regnum Christi*, & Sancti in statu Æternæ Felicitatis stabilirentur. 2. *Debuisse Deum ab Æterno creare*. Miseret me tui, mi Amice, quòd *Æternitatem* consistere in longo aliquo Temporis fluxu, vel Tempori nostro consimili, somnias. Tu mirabere, & me *in Deum Impium* clamabis, si dixero non potuisse Mundum citiùs creari quam de facto creatus fuerit; imò si asseruero nihil esse demonstrabilius positione istâ. Nam, si consideremus quid fuerit *ante* Mundum Conditum, nihil omninò extitit præter *unicam* ac *solam Deitatem*; in quo non *prius* nec *posterius*, nec aliqua *vicissitudinis obumbratio*, reperitur, vel aliquid his simile; imò nihil quod non sit his omnibus *contradictoriè* oppositum.

Objectionum frivolarum farrago.

Creatura *exiſtat-à-ſe*, vel ut Res *non-determinata* exiſtere poſſit, rejiciendum eſt quòd Exiſtentiam perdat, ſeu annihiletur. Deus itaque in eo caſu, non erit *Immediata* Annihilationis Cauſa (quod *à-ſe-Exiſtentiæ* repugnat;) ſed, quòd recidat in *Nihil* Creatura, in *Defectuoſam* ipſius conditionem integrè refundetur. Hæc perpendas, obſecro, mi Amice, & perſpicies Annihilationem ideò à me negatam, vel quòd ſonet Actionem ſine aliquo Effectu, vel quia alicui Attributo Divino contrarietur: unde *obturabitur* tibi os, dum ais me *Impium* & *Injurium* eſſe in *Deum*; cùm Evidens ſit me, dum hæc ſuſtineo, Honori Divini Numinis conſuluiſſe; & Attributis Divinis nè quid minùs dignum iis imputetur, officioſè proſpexiſſe.

Quo modo Annihilatio, ſi poſſibilis ſit, fieri poſſit.

43. Quæres, an Deus auferre poterit Determinationes omnes a materiâ, & *impedire* nè novæ ſuccedant. Reſpondeo, meam quidem eſſe ſententiam quod ſecundum Potentiam ſuam *Ordinariam*, non poſſit: an per Extraordinariam id perfici poſſit, candidè profiteor me planè *neſcire*. Miraculoſum certè erit & contra ſtatutum rerum curſum; unde niſi Ratio id poſtulet & occaſio exigat, id fieri poſſe non exiſtimem. An verò talis occaſio unquam fuerit, aut futura ſit, ſoli Deo cognitum eſt. Interim, prejudicium ingens affirmativæ ſententiæ appingit, quod Potentiam in Deo ponat æternùm *Otioſam*; ut quæ nunquam (quantum nobis innotuit) prodiit hactenùs in *actum*; cùm nunquam à quoquam aſſertum ſit quòd ab Orbe Condito unquam ſe *exeruerit*; at nec ab ullo quòd ſe *exertura ſit*, præterquàm a nonnullis male ſanis; qui, Æternas Gehennæ pœnas horrentes, non alias eſſe eas quàm *Annihilationem* æternam imaginantur. In quorum præcipuè Confutationem, cùm ipſe ſententiam iſtam propoſuerim

posuerim, & defendere conatus sim; non abs re erit unum adhuc argumentum addere; scilicet, opinionem eorum Justitiæ Divinæ injuriam esse, nec proinde ponendam. Nam ad Justitiam Divinam essentialiter spectat *punire peccatores*, & *quamdiu* peccant. At, cum jam in Termino hujus vitæ, seu in fine Motûs positi sint; &, in *Esse* tales quales fuerunt hîc, æternùm stabiliti; sequitur quòd æternùm peccaturi sint, ideóque æternùm punientur. Quod si Annihilentur, nullâ pœnâ affici poterunt; nec proinde Infinitæ Dei Justitiæ consultum erit. Cùm itaque implicet ut Deus possit esse non-Justus, annihilari eos impossibile est.

44. Pag. 37. adeò confertam Absurditatum farraginem conglomeras, ut vix sciam unde incipiam. Ais Primò, *si Deus non posset conservationis Actionem suspendere quia Bonus est*, ob eandem rationem, cum *finem huic Mundo nunquam positurum*. Quasi verò ad Bonitatem Dei non spectaret ut *adveniret Regnum Christi*, & Sancti in statu Æternæ Felicitatis stabilirentur. 2. *Debuisse Deum ab Æterno creare*. Miseret me tui, mi Amice, quòd *Æternitatem* consistere in longo aliquo Temporis fluxu, vel Tempori nostro consimili, somnias. Tu mirabere, & me *in Deum Impium* clamabis, si dixero non potuisse Mundum citiùs creari quam de facto creatus fuerit; imò si asseruero nihil esse demonstrabilius positione istâ. Nam, si consideremus quid fuerit *ante* Mundum Conditum, nihil omninò extitit præter *unicam* ac *solam Deitatem*; in quo non *prius* nec *posterius*, nec aliqua *vicissitudinis obumbratio*, reperitur, vel aliquid his simile; imò nihil quod non sit his omnibus *contradictoriè* oppositum. Objectionum frivolarum farrago.

tum. Tu, non *Rationis*, sed *Phantasiæ* fidelis *Assecla*, juxta tuum modum concipiendi, hoc est *imaginandi*, fingis tibi nescio quæ Puncta in Æternitate; per *propinquitatem* vel *Distantiam* à quibus Mundus *citius* aut *serius* creari dicatur; cum Æternitas Dei consistat in *Esse*, quod nullas *partes* habet vel habere potest; & *tali Esse*, quod omne imaginabile *Fuisse* & *Fore* formalissimè includit, & cum iis identificatur. Disce tandem aliquando nonnulla saltem Metaphysices Principia; & noli, illotis à Phantasiæ & rerum Materialium scoriâ lutoque manibus, de Attributis Divinis tractare. Mundus non potuit esse *Æternus*, nisi haberet suum *Fuisse*, *esse* & *Fore* in eadem Formalitate concentrata; quod qui ponit, tollit rationem *Mundi*. Quò autem Mentem tuam à Phantasiæ præstigiis liberem, quidsi, aliud Paradoxum tibi exhibeam, nempe Deum (quantum ex parte *sui*) Mundum ab omni æternitate *creavisse*, *creare*, & *creaturum* quoque esse. Non dubito quin tu hoc demiraturus sis, tanquam Thesin Monstri similem, & à nullo nisi Insano pronuntiandum: & tamen illud ab Altissimis Causis tibi demonstratum dabo. Deum creavit Mundum dum *est*; sed *esse* Dei idem est ipsi quod *fuisse* & *fore*; ergo Mundus æque creatus est a Deo quando *fuerit* vel *erit*, ac quando *est*; sed æquè creare Mundum quando *fuit*, aut *erit* ac quando *est*, idem prorsus est ac dicere Deum (quantum est ex parte sui) Mundum *Æternè*, *ab Æterno*, seu *in Æternum* creare; nam in *simultaneitate* (ut ita dicam) horum omnium consistit Notio *Æternitatis*; &, si hoc neges, *Vicissitudinis*, non tantum *Obumbrationem*, sed ipsam *Vicissitudinem*, seu *prius* & *posterius* in Deo ponere tibi necesse erit.

Dico

Dico [ex *parte Dei*] nam si *Æternitatem*, ex *parte Creaturæ*, Mundo affingas, ponis Mundum habere suum *fuisse*, *esse* & *fore* simul; quod tollit (ut jam dictum est) rationem Mundi; imò *Creaturam* labilem atque instabilem, *Deum* facit. Vide quanti tuâ interfit, Phantasmata tua Idealia tandem aliquando missa facere, & ad solida Metaphysices studia inanes cogitationes tuas applicare.

Aliæ Objectiones Phantasticæ diluuntur.

45. Pergis, & *ait*, 3. *Eâdem ratione Animarum Præexistentiam cum Origenistis oportet ut teneamus.* Adeò penitùs ignarus es, Amice mi, ut nescias *Partes* non posse *esse* nisi in *Toto*, & per esse *Totius*; nec proinde Anima, cùm sit *Pars*, seu (ut tute fateris) *Forma* Hominis, non esse *Ens*, seu *capax Existentiæ*, nisi quando cum Materiâ *Totum* seu Hominem componit. Et, licèt postquam aliquales cognitiones Actuales, & quasi Complexionem Accidentum Spiritualium, nacta fuerit in corpore & per corpus, ex se existere apta sit; tamen cùm sit *Puræ Potentiæ* ad cognitionem, (qualis esset ante Infusionem,) impossibile est ut existat, cùm non esset in eo casu *determinata* in ratione *Cognoscitivi*; unde Præexistendi omninò Incapax erat. 4. Opinaris eâdem ratione dici oportere *Dæmones Damnatos restituendos.* Putasne ad Bonitatem Divinam spectare, ut Peccatores malitiosi, & in malitiâ suâ in perpetuum Obstinati, Felicitate Cœlesti donandi sint; vel, ut qui manent Nequissimi, & perpetuò & immutabiliter mansuri sunt, ad Visionem Dei, ad quam maxima *Puritas* Mentis requiritur, possint esse Dispositi; Vel, si non sint Dispositi ad Beatitudinem, tamen vel inviti sint in Cœlum pertrahendi! Nullum horum, cùm Christianus sis, potuisti existimare.

Cur itaque talia objecisti? Nempe, quia plurimùm tuâ intererat ut ipse *Origenista* viderer; cùm tamen Doctrina hæc mea, quam tu hîc impugnas, *Origenismum*, hâc ex parte, uno ictu interimat; ut videre est, *Meth.* p. 318. Quot Hæresibus, Amice mi, me oneràsti? ac quid dico, *Hæresibus*, cùm vel *Ethnicismi Epicurei* me cultorem asseruisti? Neque hoc iræ tuæ sufficit, nam (5.) objicis quòd juxta Doctrinam meam *Dæmones injustè damnantur, nullo* (inquis) *eis permisso considerationis tempore.* Quàm ineptus es, præ veræ Philosophiæ ignorantiâ, de Theologicis vel *loqui*! Disce a Scholarum Principe, D. *Aquinate* 1. q. 59. a. 1. *Angelis non esse Electionem per inquisitivam deliberationem Consilii, sed per subitam acceptationem Veritatis.* Mirum autem est quòd, tibimet contradicens, hanc labem mihi affrices; quem nuper exagitâsti eò quòd dixerim, Angelos post primam Electionem (*quæ* si *non deliberant* in primo Instante fieri necesse est,) esse in perpetuum *Immutabiles*; unde, juxta doctrinam meam æternùm in peccato obstinati mansuri sunt, ac proinde justissimè in æternum sunt puniendi.

Quòd D. *Le Grand* existimet Scientiam consistere in cognoscendo *multas* Res, & nihil *bene*.

46. 6. Objicis, quòd si Angeli in primo Instanti omnia cognoscerent, *Deum ipsum Scientiâ æquarent.* Hæc, fateor, objectio est te digna. Nam, cùm tute *quamplurima* ex Authoribus tuis quos legisti, corraseris, & notaveris, & curiositates etiam *multas* observatu (ut putâsti) dignas transcripseris; *nihil* tamen *bene*, seu ex *Principiis* solidis unquam cognoveris; inde facile tibi erat imaginari quòd *Scientia* consistat in *Extensivo* Cognitorum *Numero*, & non in *Intensivo* rerum *Penetratione*; seu in eâ Cognitionis Perfectione quæ desumitur ex parte

parte *Subjecti*, & *Rationum seu Mediorum*; quæ sola ad veram Scientiam *imbibendam* ac *generandam* apta sunt. Perpende, obsecro, quod, cum Rusticus & Artis Pictoriæ Magister intuentur Picturam à *Michaele Angelo* elaboratam, unus eorum videt *tantum* quantum alter, uterque siquidem *totam* Tabulam videt; at *hic penetrantius* cernit Artificii in eâ Excellentiam, quam *ille*; qui nihil in illa percipit, nisi quod sit nitidum quiddam & elegans. Rursus, ponamus duos homines quorum alter *fuscos*, alter *perspicaces* habet oculos, idem Objectum intueri; necesse est ut hic *melius* illud perspiciat quam ille, licet ambo *Totum* videant. Eodem modo, si statuamus Angelos Superiores & Inferiores, *omnes* quæ in Naturâ sunt Res cognoscere; tamen cum aliqui eorum magis perspicaci Intellectûs acie præditi sint quam alii, qui *minus* Intelligentiæ seu Intellectualis naturæ habent (nam Angelorum etiam *Distinctio per plus & minus* de ratione Communi constituitur) melius videbunt ista omnia eorum *aliqui*, nempe, hi qui Superiores sunt; quam *alii*, qui Inferioris sunt Ordinis. Porro, cum *Scire* sit *res per Causas cognoscere*, omnes poterunt omnia quæ sunt, in *Deo*, tanquam in *Primâ Causâ*, videre; & tamen, aliqui, ob præcellentiorem & Nativam Spiritalis Oculi indolem, vel ob dotes Gratiæ quâ meliorem & quasi magis Familiarem Divini Numinis Cognitionem habent, longè intimius, idque ultra omnem fere comparationis gradum, *penetrabunt* Naturas earum, quam alii, imò, qui clarius & distinctius videt ipsam *Primam Causam*, *melius* perspicies Causalitatem & Influxum ipsius in Creaturas, indeque Creaturarum ipsarum Rationes. Unde consequitur, quod, cùm nul-

lus perfectè comprehendat ipsam Causam Primam præterquam solus *Deus*, ipsum Deum solum & non ullam Creaturam, posse comprehendere, modo *perfectissimo*, omnes Rationes in Rebus Creatis, vel quicquid *Scibile* est in eis prout in Supremâ sui Causâ sunt. Unde concluſum est quòd *Deus* solus sit *absolutè* & propriè *Omniscius*; & Creaturas, etiam præcellentissimas, non nisi *secundum quid*. Nam, *Sapientiâ* suâ Deus Mundum condidit; quam nemo comprehendere potest nisi Mundi Conditor, ipsemet *Deus*. Quid quòd ex contrariâ sententiâ potiùs sequitur Dæmonas *restituendos*: Nam si non cognoscebant *omnia* quando *Electionem* suam primò fecerunt; accedente *novâ* Cognitione, *secundæ* ipsorum *cogitationes* possent forsan esse meliores & sapientiores; unde *pœnitere* potuerunt; Quod si verè *pœniterent*, procul omni dubio ad Bonitatem Divinam spectat eos misericorditer *restituere*. Multa garris, mi Amice, de *Claris* vestris & *Distinctis* Ideis, & tamen confunditis duas illas generalissimas Entis Species, *Corpoream* scilicet & *Spiritalem* (è quarum perfectâ Distinctione *omnium* omninò *Rerum* Cognitio pendet;) dum eodem crasso modo discurritis de *Spiritibus Purè*, (imò de *Æternitate*, quæ est Attributum ipsius *Dei*,) quo de Corporeis rebus discurrere solemus.

Concluſio Generalis ex his ineptiis, & forsan ex totâ istâ Præfatione, deducta; nempe, ut J.S. fit *in Deum Impium*.

47. Ex innumeris hisce Ineptiis, dignis te *Præmissis*, juxta *Methodum* tuam *Syntheticam*, quam ad finem tuum consequendum exactè observasti, Concluſionem hanc, tanquam unicam ad quam in operosâ istâ Præfatione collimâsti metam, (§. 43.) *deducis*; scilicet, quòd sim *in Deum Impium*. Quare non addidisti, cùm eadem sit utriusque ratio, in *Dæmones Pios* &

Amicus

Amicus, cùm utrumque eadem ratione funde-
tur? Pergis, *Qui sic in Deum Impius*, non mi-
rum si *Carteſium* ... *& omnes alios pro libitu ſuo*
aſpernatur. Unde video quòd quæcunque con-
trà Carteſianam doctrinam adduxerim Argu-
menta, vel adducturus ſum, uno flatu diſrum-
pantur, & confutatione ulteriori non egeant;
à *Dæmone*, ſcilicèt, Mendaciorum Patre, &
non à *Deo*, Veritatis Authore, profecta ſunt.
Quid vis, mi Amice? Sanè ego neſciebam an-
tehac quod *Cauſa Carteſiana* & *Cauſa Dei* adeò
arctè inter ſe colligatæ erant, ut qui Carte-
ſium confutare auſus fuerit, protinùs *in ipſum*
Deum Impius ſit: Aliter ſi id reſciſſem, nolue-
ram ſanè ipſum oppugnare, nè pariter *Deum*
etiam ipſum adorirer. Nè Lectores tui te non-
dum ſatis deſipuiſſe exiſtiment, iterum ad A-
ſteriſcum illum formidabilem §. 44. oratio-
nem tuam convertis; & non jam ad *te quin-*
que ſpiculis transfigendum, ut antè; ſed ut *Pro-*
vocationis ſignum poſitum imaginaris. *Phœnix*
es, Amice mi, in rixando ac calumniando,
& *integram Speciem* in *Individuo* tuo contines:
Nam quis mortalium præter *Teipſum*, tot jur-
gia ex tam ridiculâ occaſione moveret; imò
adeò aſſiduè eam repereret ut de nullâ alia re
quàm de *Aſteriſco* ſomniare videaris. Quid
quòd *Stellulæ* Figuram habuit Aſteriſcus ille;
unde *Honoris* potius *Inſigne*, quàm *Provocationis*
Signum, habendus erat. Quantum debeo For-
tunæ quòd *Obelus* (hujuſmodi enim Notis u-
untur etiam Typographi) nomini tuo præ-
fixus non fuerit; nam ſtatim veniſſet in Men-
tem tuam ſuſpicioſis impreſſionibus aptiſſu-
mam, phraſis illa [*Obelo confodere*,] &, tunc,
Deus bone! quantas lites, quàm Tragicas &
interminabiles rixas concitâſſes! Quò ani-
mum

mum tuum, ut quietè dormias, demulceam, ſub obteſtatione ſacrâ profiteor me nè cogitâſſe quidem vel ſomniâſſe de aliquo *Provocationis ſigno* per Aſteriſcum illum, ſed quòd mero *caſu*, & non de *induſtriâ* ibi relictus fuerit. Et, ut id ita eſſe meliùs tibi fidem faciam, inſpice, obſecro eandem Methodum p. 34. l. 17. & videbis *alium* etiam Aſteriſcum æque formidabilem, etiam *ſex ſpiculis* armatum, neſcio quo caſu, poſitum; ubi *nulla* de nomine *tuo* mentio erat; nec proinde potuit eſſe vel *te transfigendi* vel *provocandi* Signum: & forſan non nullos alios reperire licuit, modò aucupio adeò frivolo otium mihi ſuppeteret. Faceſſant itaque dehinc, atque obſoleſcant frigidâ illa Adagia, ab Antiquis uſurpata, ſcilicet, contendere *de Aſini umbrâ, de alliis & cepis*, vel *de lanâ caprinâ*: Æquum enim eſt ut *Grandiorum* hoc Adagium (novâ & phantaſticâ illâ Philoſophiâ dignum) nempe, rixari ac contendere *de umbratili Aſteriſci ſeu Stellulæ figurâ*, primas obtineat; & ſolum deinceps, ob contentionem *de re nihili*, Proverbiale ſit. Ais, imò inſiſtis, quod Ego *te nè quidem cogitantem provocârim ac maximèurgere* non deſiterim; & multoties id repetis; ut & ab amico quodam te hoc accepiſſe; quod falſiſſimum eſt. Memini equidem quendam Amicum tuum mihi abhinc biennium (ut conjicio,) retuliſſe, te confutandæ Methodo meæ eſſe intentum; & quòd ipſe reſponderim me libenter videre velle qualia argumenta ad Cauſam ſuam tuendam afferre poſſent Carteſiani; & quòd, (verba mea erant) *ſperabam, ſi hoc ita eſſet, ſcintillulas aliquas Veritatis ex colliſione noſtrâ eliciendas.* Suſpicor equidem, modò hoc ad intemperantiam tuam excuſandam non confinxeris, Nebulonem

nem nescio quem *jocosum*, qui noverat Genium tuum præcipitem esse & ad iracundiam proclivem, quò Lectoribus tuis risum moveret, tibi imposuisse. Cæterùm, ad quid te provocâssem, si id maximè vellem? Num ad *rabulandum*? Ne id metuas, mi Amice; lubentissimè palmam, hâc in re, tibi cedo; teque facilè Victorem in hâc palæstrâ ex animo agnosco. Ex *Ungue* tuo, quo meo malè lacerâsti, quantus in rixando & futilitate *Leo* sis, jam satis edoctus sum; neque existimo quenquam, si sapit, tecum, in Scientia istâ, tibi propriâ, contendere, aut *velle* aut *posse*.

48. Tempus jam est ut magis tuis ulteriùs prosequendis imponatur finis. Si quid asperius è *currente* calamo elapsum fuerit (non enim, à melioribus provocatus, Responsione magis *elaboratâ* te dignari mihi vacabat) æquum est ut *Tibimet* acceptum feras. Neque enim *vitia* quæ in famâ meâ denigrandâ commisisti, potui, in mei Purgationem, refutare, quin (ut dictum est) necesse fuerit ut eadem *Nominibus* tibi *propriis appellarem*; nec (cum tam virulenta atque invidiosa fuerint) potui ea *nominare*, si propriè loqui vellem, quin *dura*, ac *malè sonantia* verba usurpanda mihi erant. Quid quod *Responsa* à me, non *Dicta* sint; nec potui, *Præfationis* tuæ *stylo* assuetus, adeò penitùs ejusdem Imitationem defugere, quin aliqua verba minùs grata, veluti contagio quodam, calamo meo adhærescere necesse fuerit. Id consilii, Amice mi, jam vale dicturus, tibi do, ut reputes tecum quam rationem, *sic convictus*, Lectoribus tuis allegare possis, quò minùs in discurrendo Sciolus, in respondendo Frivolus, in objiciendo Phantasticus & Superficialis, in explicando Futilis, in obloquendo Scurrilis,

Scurrilis, in suspicando Levis, in narrando Mendax, in fallando Insincerus, in carpendo Momus, in triumphando Ridiculus, in convitiando denique Rabiosus, ab omnibus Bonis, Doctis ac Ingenuis Viris habendus atque abhominandus sis. Vale; &, si potes, sape.

Anacephalæosin, Lector, meditabar: Verum ad Institutum meum conducibilius duxi, præcipuas D. *Le Grand* Theses, hactenus nobis exhibitas, ex diffusis ac laceris ipsius dissertatiunculis, quantâ potui fidelitate collectas, in *Categoricas Propositiones* reducere. Quò, tum Lectoribus pateat quantum à *Terminorum Connexione*, ac proinde à Veritate abhorreant; tum ut D. *Le Grand* innotescat quid jure expectandum à Lectoribus, & ab ipso faciendum sit, modò se Philosophum præstare cupiat; nempe, ut *Demonstret* ullam omninò Terminorum Connexionem seu *Veritatem* dictis Propositionibus inesse. Quod nisi fecerit, *Futilitatis*, *Vanitatis*, & insulsæ *Arrogantiæ* convictus manebit, ac proinde Indignus quicum Philosophus quispiam in posterum rem habeat.

Propo-

Propositiones nonnullæ quæ D. Le Grand *Fundamentales sunt, ex Præfatione ipsius collectæ, & ad* Terminorum Connexionem *ab ipso Reducendæ.*

SUbjecta *Mathematica* sunt *Diffuso* seu *non-Mathematico* more tractanda. Vide supra, §. 5.

Fastus est cum rigore Veritatem (uti Scriptor ipse judicat) *prosequi*, & Erroris sequaces audacter redarguere. §§. 4, 5, 6.

Nonnulla in aliis Scriptoribus impugnare, quæ Errores esse reputantur, est Scriptores illos *spernere*, *contemnere* ac *damnare*. §§. 9, 10, ad 20.

Mediis *impossibilibus* Finem aliquem prosequi non est Ridiculum. §. 9.

Universo, tum Præterito, tum Præsenti Mundo se unum opponere fere in *omnibus*, *Modestiæ* est, non *Fastus*. §. 10.

Judicio cujusquam Caulam suam *submittere*, eumque *Arbitrum* constituere, est *arrogantiis ipsi dictare*, & *imperiosè* atque *inurbanè* se gerere. §. 11.

Academici non inclaruêrunt hactenus *ullis* studiis, præterquàm iis quibus per *Idealem* viam se applicuêrunt. *ibid.*

Qui *narrat* aliquid de *aliis* authoribus quod ab *Ipsismet*, & ab *Amicis* eorum *publicè* scripta sunt & agnoscuntur, *Calumniator* est.

In objiciendo vel impugnando non attendendum est ad Libri, quem impugnas, Scopum. §. 17.

Syllogismus ex *duabus* Propositionibus constat. §. 18.

Asserere

Aſſerere quòd *nulla* determinata Concluſio ſequatur, eſt Concluſionem deducere. §. 19.

Negare Concluſionem eſt Optima, ſaltem Legitima, *confutandi* eam Methodus. §. 26. & ſæpiſſimè alibi.

Duæ *Individuæ Res*, ſeu Entia, non ſunt duo *Suppoſita*. §. 27.

Habens Naturam, & Natura *habita*, ſunt una atque eadem formalis Notio. §. 28.

Objectum Mentis non eſt *in Mente*, quando cogitamus de illâ. §. 29.

Impugnare aliquem *ſuis ipſius* Objectionibus, & Solutiones quas dedit non agnoſcere, eſt Legitima ipſum confutandi Methodus. §. 31.

Natura *Cauſæ Immediatæ* debet eſſe contradictoriè oppoſita Naturæ *Effectûs*. *Ibid.*

Succeſſivum, ſeu *non-Inſtantaneum*, poteſt eſſe *Inſtantaneum*. *Ibid.*

Indiviſibile in Duratione poteſt eſſe *Æquale Diviſibili* in eodem reſpectu. *Ibid.*

Differentes *Cauſæ* non producunt Differentes *Effectus*. §. 32.

Illud quod non eſt *Res* poteſt exiſtere *ſe ſolâ*. *Ibid.*

Impugnanda eſt ſententia Adverſarii licèt ſit ignota. §. 33.

Poteſt aliquid *differre* ab alio ſub aliquâ præciſâ notione, licèt *nihil* ſit *quo differat* ſub Notione illâ. §§. 34. 35.

Contradictoriæ Differentiæ, conſtituentes diverſas *Species*, non faciunt eas *contradictoriè differre* in omnibus præterquam in ratione *Generis*. §. 38.

Inexorabilis eſt Mundi Rector niſi plus deferat privatorum precibus quàm Ordini Rerum, *Temporum & Momentorum, quæ poſuit Deus in ſuâ poteſtate*. §. 39.

Impotens

Impotens est Deus si non potest immutare Rerum Ordinem a *Sapientiâ* suâ statutum; hoc est, si non potest sibimet contradicere. *Ibid.*

In Definitione, Ratio *Generis* non debet esse Communior seu *Superior* quàm Ratio *Definita*, sed *Inferior* illâ. §. 40.

Actualitas Infinita non exercet se, quando Subjectum est perfectè *Capax* ad recipiendum Influxum ipsius; vel, *Actualitas Infinita* non habet *omnem* rationem Actualitatis. §. 41.

Aliquid potest esse *Æternum* absque eo quòd habeat suum Esse, Fuisse & Fore *simul*, quod tamen Æternitati *Essentiale* est. §. 44.

Pars, licèt extra Totum non sit Ens, seu *capax Existentiæ*, est tamen *Capax Existentiæ*, etiamsi sit *Pars*. §. 45.

Bonitatem Divinam æquè decet Dæmones, licèt ad Fruitionem Dei sint *Indispositi*, ejusquè *Incapaces*, admittere in Cœlum; ac Creaturis *Existentiam* dare, quæ *Capaces* sunt & *Dispositæ* ad eam recipiendam. *Ibid.*

Actus Puri, seu *Spiritus* subsistentes, *considerant* seu *conferunt* unum Motivum cum alio; hoc est, *Ratiocinantur*, & non *Intuitivè* operantur. *Ibid.*

Perfectio Scientiæ consistit in *Extensivâ*, licèt Sublustri, cognitione *multorum*; & non in *Intensivâ* & *Penetrativâ* rerum in Causis suis, & præcipuè in *Primâ Causâ* Intelligentiâ. §. 45.

IDEÆ

Aſſerere quòd *nulla* determinata Concluſio ſequatur, eſt Concluſionem deducere. §. 19.

Negare Concluſionem eſt Optima, ſaltem Legitima, *confutandi* eam Methodus. §. 26. & ſæpiſſimè alibi.

Duæ *Individuæ Res*, ſeu Entia, non ſunt duo *Suppoſita*. §. 27.

Habens Naturam, & Natura *habita*, ſunt una atque eadem formalis Notio. §. 28.

Objectum Mentis non eſt *in Mente*, quando cogitamus de illâ. §. 29.

Impugnare aliquem *ſuis ipſius* Objectionibus, & Solutiones quas dedit non agnoſcere, eſt Legitima ipſum confutandi Methodus. §. 31.

Natura *Cauſæ Immediatæ* debet eſſe contradictoriè oppoſita Naturæ *Effectûs*. *Ibid.*

Succeſſivum, ſeu *non-Inſtantaneum*, poteſt eſſe *Inſtantaneum*. *Ibid.*

Indiviſibile in Durazione poteſt eſſe *Æquale Diviſibili* in eodem reſpectu. *Ibid.*

Differentes *Cauſæ* non producunt Differentes *Effectus*. §. 32.

Illud quod non eſt *Res* poteſt exiſtere ſe ſolâ. *Ibid.*

Impugnanda eſt ſententia Adverſarii licèt ſit ignota. §. 33.

Poteſt aliquid *differre* ab alio ſub aliquâ præcisâ notione, licèt *nihil* ſit *quo differat*, ſub Notione illâ. §§. 34. 35.

Contradictoriæ Differentiæ, conſtituentes diverſas *Species*, non faciunt eas *contradictoriè differre* in omnibus præterquam in ratione *Generis*. §. 38.

Inexorabilis eſt Mundi Rector niſi plus deferat privatorum precibus quàm Ordini Rerum, *Temporum & Momentorum, quæ poſuit Pater in ſuâ poteſtate*. §. 39.

Impotens

Impotens est Deus si non potest immutare Rerum Ordinem a *Sapientiâ* suâ statutum; hoc est, si non potest sibimet contradicere. *Ibid.*

In Definitione, Ratio *Generis* non debet esse Communior seu *Superior* quàm Ratio *Definita*, sed *Inferior* illâ. §. 40.

Actualitas Infinita non exercet se, quando Subjectum est perfectè *Capax* ad recipiendum Influxum ipsius; vel, *Actualitas Infinita* non habet *omnem* rationem Actualitatis. §. 41.

Aliquid potest esse *Æternum* absque eo quòd habeat suum Esse, Fuisse & Fore *simul*, quod tamen Æternitati *Essentiale* est. §. 44.

Pars, licèt extra Totum non sit Ens, seu *capax Existentiæ*, est tamen *Capax Existentiæ*, etiamsi sit *Pars*. §. 45.

Bonitatem Divinam æquè decet Dæmones, licèt ad Fruitionem Dei sint *Indispositi*, ejusque *Incapaces*, admittere in Cœlum; ac Creaturis *Existentiam* dare, quæ *Capaces* sunt & *Dispositæ* ad eam recipiendam. *Ibid.*

Actus Puri, seu *Spiritus* subsistentes, *considerant* seu *conferunt* unum Motivum cum alio; hoc est, *Ratiocinantur*, & non *Intuitivè* operantur. *Ibid.*

Perfectio Scientiæ consistit in *Extensivâ*, licèt Sublustri, cognitione *multorum*; & non in *Intensivâ* & *Penetrativâ* rerum in Causis suis, & præcipuè in *Primâ Causâ* Intelligentiâ. §. 45.

IDEÆ

IDEÆ CARTESIANÆ
AD
LYDIUM Veritatis LAPIDEM
(*Terminorum*, scilicet *Connexionem*)
EXPENSÆ.

EXAMEN Secundum.

Cognoscendi Rationem, *à Cartesianis positam, Falsam esse ostendens.*

PRÆFATIO
AD
Doctos utriusque Academiæ nostratis.

1. COntrovèrsia quæ impræsentiarum agitatur, Viri omni Scientiarum genere Excultissimi, non est de vulgari aut trivid aliquâ Quæstione; quæ, an vera fuerit, necne, non multum Virorum Doctorum interest; sed in-

signis

ſignâ prorſus momenti; imò ejuſmodi ut, ex illius Deciſione, Naturalis Humani Generis Perfectio vel maximè, ſi non integre pendeat. Num, cùm ex Communi Hominum Senſu ac Conſenſu manifeſtiſſimum ſit, neminem poſſe ad Cantabrigiam vel Oxonium pervenire, niſi Viâ quæ illuc ducit, inſiſtat; pari omninò Evidentiâ conſtat, neminem poſſe Cognitionis fieri compotem, niſi in Studiorum ipſius curſu, Viam ſeu Methodum quæ ad Scientiam rectâ tendit, ſequatur, neque in aliam deflectat. Quare, cùm Methodus, ſeu Ratio Cognoſcendi ab ingenioſo Viro D. Le Grand hîc expoſita, ab Ariſtotelæa tam immenſùm diſtet, ut ei Oppoſita planè ſit, neque in unam eandémque coaleſcere poſſit; conſequitur, idque neceſſariò, oportere vel hos vel illos a Verâ Scientiâ aſſequendâ deviare; ut qui à Tramite, ad illam ducente, aberrent. Imò, cùm in Diſſertationis ſuæ calce audacter pronuntiet D. Le Grand, aliam admitti non poſſe Veritatis Regulam quàm quæ ab Ipſo aſſignata eſt; nemo autem ante Carteſium (uti apertè declarat hîc §. 113.) de hâc Regulâ cogitaverit, vel eam invenerit, aut ab aliis inventam ſecutus ſit; Quæſtio hîc ventilata tandem ad hoc, juxta Diſcurſum præcedentem, tota redigitur; An omnes, quotquot ab Orbe Condito ante Carteſium vixerunt ac ſcripſerunt Philoſophi, a Verâ Scientiâ aberrârint; An aliqui ſaltem extiterint qui, ante Carteſium natum, aliqualem ſaltem Scientiam attigêrunt? Si prius dixerint, quis non immanis Falſitatis & Oſtentationis Magniloquæ Novatores iſtos eſſe reos pronuntiabit? Sin poſterius aſſerant; hanc enimverò manifeſtè ex jam dictis conſtabit, Methodum ab Antiquis uſurpatam fuiſſe Veram, ac proinde Methodum a Carteſio excogitatam Falſam eſſe; &, licèt Ignis cujuſdam Fatui,

hominum

hominum Terminorum Connexionem *non satis advertentium, fulgore novo atque insolito præstringat oculos; ejus nihilominus sequaces à* Verâ *Scientiæ comparandæ* Viâ *palabundos seducere.*

2. *Hæc cùm ita sint, & nihil quicquam Causæ* Cartesianæ *conducibilius esse res ipsa clamitet, quàm* Rationem Cognoscendi, *ab aliis positam,* evertere; *expectabam equidem* Cartesianos, *si me* impugnare *integrum sibi videretur, justo Tractatu nostram* Cognoscendi Rationem, *in* Præliminariis *meis expositam, & in* Methodo *mea fusiùs demonstratam, impugnarent: non* voculas *hinc inde decerpendo detortu faciliores, sed ostendendo quòd in Demonstrationibus iis, quibus* Nervi & Ligamenta *Principiorum meorum stabiliuntur, nulla inesset* Terminorum Connexio, *nec proinde ulla* Veritas: *Præsertim, cùm Methodus* mea *Methodo ipsorum* contraria *fuerit; atque (uti saltem prætendebatur) etiam* Demonstrata. *Est autem* Methodus mea (*ut summatim eam complectar*) *hujusmodi.* Notiones *nostræ, seu* Apprehensiones simplices, *quæ primò Mentem afficiunt, a* Rebus *ipsis petendæ sunt. Harum duæ,* Subjectum *scilicet* & Prædicatum, *conjungendæ sunt per* Copulam [Est,] *quando videmus* utrumque *in eodem Ente inveniri (quod* identificari *dicimus); unde formantur* Propositiones; *de quibus* judicare *solemus. Denique, in* Connexione *istorum cum* Tertio *quopiam seu* Medio *in Præmissis, ex vi Principii* per se noti, *emergit Tertia, quæ* Conclusio *dicitur; ex quibus compaginatur* Syllogismus. *In quo quidem, sive* explicitè *& formaliter* expresso, *sive virtualiter* implicito, *totum* Ratiocinationis *opus peragitur. Unde manifestissimum redditur* omnem solamque *Scientiæ habendæ atque investigandæ Rationem in* Terminorum Connexione *unicè ponendam esse.*

3. *Quid ad hæc* Cartesiani? *Nihil horum* denegare *ausi sunt, cùm omnia hæc esse* nimis *Evidentia cernant; nec Methodum istam* impugnare; *& tamen candidè eam* concedere *non erat tutum; nè quis ipsos ad* Terminorum Connexionem *provocaret, & juxta eam Principia ac Placita* Cartesiana *expendenda, ipsis fatentibus, contenderet. Nec denique apertè* refragari *integrum erat; ne cunctis suboleret se* Terminorum Connexioni *(ut olim* Cartesius *ipse) diffidere, eò quod præsenserint Methodum quam affectant non posse ad illam reduci, aut cum eâ quadrare. Quare,* Modestiam *simulant, nè* Methodus *ista, nemini parcens, discursus ipsorum* stringat, *atque ab expatiando* cohibeat; *in quo* diffuso, *scribendi modo,* Rhetorculorum *potiùs quàm* Philosophorum *proprio, prioram puppimque Doctrinæ suæ sive* stabiliendæ *sive etiam* defendendæ, *positam, satis prævident. A* Categoricis *Propositionibus &* Syllogismis *maximè abhorrent & refugiunt, ut* cassibus *eorum* teneantur, *&, ultra omnem evadendi spem,* irretiantur. *Non tamen* apertè *Artificialibus discurrendi modis, Regulisque bellum indicunt; hoc namque nimis dedecorosum foret, sed* sensim *& absque strepitu eas* seponunt. *Sperantes nimis* rigidam *illam philosophandi viam, sibique maximè inimicam (præsertim sub præjudicio, ob inutiles Modernarum Scholarum conflictationes, laborantem) tandem aliquando in* Desuetudinem *abituram. Unicum ipsis subsidium, unicum (ut dixi) tutamen in Solutâ ac* Laxâ *oratione, ingeniosè compactâ ac concinnatâ (quod idem in* Socinianis *quoque Scriptoribus observare licet) & nonnunquam levem aliquam Connexionis* Umbram *simulante, collocant: Nam etiam araneolorum telæ suos* nexus *habent; at perquàm* tenues, *& quæ vel levissimo halitu* dissipari *possunt. Revocant mentes suorum ab ipsarum*

Rerum

Rerum *considerationè*; *quarum loco* Ideas *quasdam à se* Elicitas, *hoc est, à propriâ ingenio effictas, substituunt*; *quas* (*ut posteà ostendetur*) *vel* esse, *vel* non-esse *ipsas* Res, *prout occasio se offert, asserunt. Denique, innumeras alias hujusmodi præstigias adinveniunt, quarum præcipua est ut, non fidendo Sensibus in his quæ ad Scientiam conducunt, exuant quasi Naturam Humanam*; *at de* Terminorum Connexione, *sine quâ nihil* Veri, *nihil* Certi, *ne verbum quidem. Nedum ad talem* Connexionem *provocant, aut ad illam Discursus suos* reducere *satagunt.*

4. *Non hoc dictum velim, perinde ac si etiam in* Solutâ *oratione inveniri tum* Veritatem, *cum dictam* Connexionem *non existimem: Affero nihilominus, neque* tantâ *Claritate connexionem illam perviderì posse; ubi multiloquio, ut fit in Declamationibus Oratoriis, persæpe fucatur* Ratio; *nec proinde ullum hujusmodi Discursum pro* Vero *admittendum, nisi ad* Artificiosam *illam Ratiocinii structuram, seu ad strictam* Terminorum Connexionem *redigi possit*; *Neo, denique, quod Caput est, ubi* de Principiis stabiliendis *agitur, tales Discurrendi Ambages omninò esse usurpandas. Ibi siquidem, si quâ aliâ*, Nuda *proponenda est* Veritas; *& Veritatis Mater, dicta* Connexio; *quâ Nativa illa* per-se-Evidentia, *quæ Principiorum propria est, maximè* (*ut oportet*) *elucescat*; *&, nullo auxilio, a* Rhetoricâ *quæsito*, adjutâ, *sed* proprio *robore nixa, sese Lectoris animo impensiùs commendet, eorúmque* Judicia *figat atque* immotè stabiliat.

5. *Hæc cùm ita sint, nihil profectò æquius est, quam ut à* strictâ *ac* Connexâ *Veritatis assequendæ Methodo se subducentes ad eandem reducamus. Quare, mihi propositum est, juxta hanc* Normam, *quæ ad* Rationem Cognoscendi *Cartesia-*

nam adſtruendam attulit D. Le Grand expendere. Dicendorum Ordinem dedit ipſemet; quam regulam ſeu veſtigiatim ſequar. Principia quibus nititur, quantum potero, ex Diffuſis ac Lacerti quos affectat Diſcurſibus, in Propoſitiones Categoricas colligam; eaſque ex Vocum involucris eruere ac nitide proponere conabor. Denique, Quænam iis Connexio inſit ex-ſe-Evidens (uti ineſſe oportet, modò ſint Principia Prima;) vel ſaltem Evidenti duorum Terminorum cum Tertio Connexione Demonſtrata, examinabo. Et, ſi neutram ex his Evidentiis eas habere conſtiterit, tunc Obſcuras eſſe eas omnibus manifeſtum erit. Obſcuras autem Propoſitiones pro Principiis ponere, vel cuivis è face Vulgi de rebus triviis diſſerenti, dedecoroſum eſt; multo magis Philoſopho, cui de Scientiâ adſtruendâ tractare incumbit, probroſum eſt atque ignominioſum. At neque conqueri poteſt D. Le Grand quid rigore nimio uſus ſim, cum in fine Diſſertationis ſuæ ſe Demonſtrâſſe Theſin ſuam profiteatur. Demonſtratio autem abſque Exactâ Terminorum Connexione compingi poſſe, Communi Doctorum omnium Senſui repugnat. Nec eamen ea quæ in Diſſertatione iſtâ hinc inde occurrunt, prætermittam, modò Theſi Principali valdè prodeſſe vel obeſſe videantur. Quid ſi parum aut nihil ad Quæſtionis de quâ agitur Deciſionem conducunt, ea, Brevitati, quantum fieri poteſt, conſulens, intacta præteribo.

INDI-

INDICATIO Prima.

Injustè Aristotelæis à Cartesianis objici Axioma illud [Nihil est in Intellectu quod non priùs fuerit in Sensu.]

6. NON dubito quin permultùm contulerit ad *Ideârum* Doctrinam excudendam, Præjudicium illud quòd nonnulli hujus Centuriæ viri ingeniosi de Axiomate isto conceperant. At nec diffiteri possum quin, si sumantur voces istæ prout in Terminis jacent, seu juxta *latissimam* significationem quam primâ fronte præ se ferunt, ansam tribuerint satis justam Aristotelæos eò nomine perstringendi, atque ab iis, hâc ex parte, recedendi. Subvereor tamen nonnullos ex *Ideistarum* Coryphæis, abdicandi receptum Philosophandi modum, novúmque invehendi desiderio accensos, hanc occasionem libentiùs arripuisse, & pro Prætextu usos esse; ac verba illa, ultrà quàm par sit, aut a Stagyritæ Sequacibus intelligi possent, extendisse. Quis enim vel ex Scholis quibuslibet Modernis adeò hebes, ut existimet Objecta *Reflexorum* mentis nostræ Actuum, vel eorum quibus Spiritales Naturas concipimus, à *Sensibus* acceptos; imò etiam Conceptus omnes Artificiales, *Propositionum* putà, *Syllogismorum*, & hisce similes, *Sensibilia* esse, seu unquam *fuisse in Sensibus*, licèt compertissimum sit ea *esse in Intellectu*? Hoc siquidem perinde est ac si quis contendat *Angelum* vel *Syllogismum* Tactu, Visu aut Odoratu percipi posse; quod à quoquam satis sano teneri,

Quo sensu intelligant Peripatetici Axioma illud, [*Nihil est in Intellectu quod non priùs fuerit in Sensu.*]

ac pro Principio statui, omnem fidem exuperat: Unde istud adeò crudo & generali sensu Objicientes, opponendi cupidine abrepti, & non Æquitatis studiosi censendi sunt. Quare, *istam* & non *aliam* fuisse Aristotelæorum mentem omninò fuisse arbitror, nempe, quod, cùm juxta illos, Anima sit *Tabula* (ut dici solet) *Rasa*; nullas proinde Notiones, sive *Directas*, sive super Directis *Reflexas*, habere eam, nec ullam proinde Cognitionem habituram esse, nisi, per *Impressiones in Sensibus priùs factas*, Notiones, seu *Simplices* de Rebus *Apprehensiones*, Menti *priùs* ingestæ atque inditæ fuissent. Quam sententiam meam quoque esse agnosco.

Parùm interesse, J. S quonam sensu Alii illud intellexerint.

7. Cæterùm, nihil meâ interest quidnam alii de Axiomate illo senserint, vel quo modo illud intellexerint; nam, id unum mihi incumbit ut ostendam quòd nullam Doctrinæ meæ labem adferat; cùm nusquam (quod memini) illius mentionem fecerim, vel in subsidium meum alicubi adduxerim; licèt D. *Le Grand* id innuere videatur. Nam, cùm de Argumento illo tota *Dissertatio* ista scripta sit, & ipse *Cognoscendi Methodum* prorsus diversam ab eâ quam proposuit ille, in Præliminario me quarto posuissem; omninò existimandum est quòd, cùm is me Adversarium sibi constituere voluerit, ipsi propositum fuerit, Axioma illud, idque modo speciali, mihi opponere.

Doctrina Authoris de *Ratione Cognoscendi* summatim exposita.

8. Quò verò ostendatur quantum abfit ut decantatum illud Axioma, in sensu *latissimo* seu minùs sano acceptum, Doctrinæ meæ impingi possit, brevissima, de *Ratione Cognoscendi* quam ipse posui, delineanda ac præmittenda est Catagraphe. His itaque passibus ad Quæstionis hujusce determinationem procedo. Cùm

Corpora

Corpora quæcunque Naturalia perpetuo Motu agitentur; sive ex collisione ad se invicem, sive ex interno calore Partes unicuique propias excitando; *particulas* quasdam, seu Effluvia, ejusdem prorsus secum naturæ, ex sese emittunt. Particulæ istæ pervolitantes ubique *Nervos* nostros afficiunt. Nec ibi (ut sentire videtur D. *Le Grand*.) sistunt, sed per Sensorii Poros, tanquam Canaliculos, & forsan ope Spirituum Animalium, qui ultrò citroque ictu oculi commeant, ad mirabilem illam Cerebri partem, quam *Cognitionis Sedem* vocamus, recto tramite feruntur. Et, cum Anima, tanquam *Forma*, uniatur cum Parte jam dicta, veluti cum suâ Principali, Immediatâ & Propriissimâ *Materiâ*; Materia autem & Forma, seu Potentia & Actus (ut in Metaphysicis demonstrabitur) sint Partes Entis formaliter *ut Ens est*; eas proinde Unum Ens Individuum, quod Suppositum dicitur, constituere necesse est. Unde, quando Pars illa *Materialis* afficitur secundùm *suam* Naturam, seu modo *Corporibus* Congruo; etiam altera pars, quæ *Spiritalis* est, (seu Anima,) propter *Suppositi* (cujus omnes Actiones & Passiones sunt) in Parte illa *Identitatem*, afficietur etiam modo Spirituum proprio; hoc est, *Cognoscitivè*, Simplicissimo tamen adhuc modo; eò quod, ex Directo Effluviorum in Nobilissimam illam Partem ictu, Menti indita & quasi impressa erat illa Cognitio. Porrò, Effluvia illa, licèt *ejusdem* sint prorsus Naturæ cum Corpore è quo evolabant, & singula sint Entia quædam, ejusdem Speciei cum Parente suo, non tamen afficiunt Sensorium, aut Cognitionis Sedem, secundùm totam Naturam seu totam Accidentium Complexionem quam habent; nec aliter quam

quàm ut aliquo gradu *Alterans* eam secundùm aliquem sui *Modum*, (unde Notiones omnes nostræ sunt Abstractæ seu Inadæquatæ,) & non ut *Res* est, seu sub ratione *Entis*, donec ad Animam perveniatur; cujus solius est *Entia* seu *Rei* Notionem, interventu Rationis, consequi. Et, ubi tot *Notiones* Modorum, seu tot Inadæquati Conceptus, invectæ fuerint, quot ad *distinguendam* Rem ab omnibus aliis fuerint satis; tunc Notio illa, ad *completam* & quodammodo Adæquatam (quantum datur) Perfectionem evecta, *Naturæ* cujusdam Particularis, vel etiam *Individuæ* conceptum induit. Hactenùs autem Homo, saltem in Primis seu Inadæquatis Impressionibus, merè *Passivus* erat. Verùm, postquàm jam Notionibus hisce, tanquam Objectis seu Materiâ circa quam operatur, instructa fuerit, tunc (Causis Secundis, juxta præscriptum à Divinâ Providentiâ, ordinem ad agendum Determinantibus) ad *alteriores* operationes, se accingit; scilicet, ad *Judicandum*, & *Ratiocinandum*; ut & ad *Abstrahendum*, *Componendum*, *Dividendum*, *Comparandum*, denique ad *Reflectendum* super objecta quæ in se habet, & Operationes proprias, earúmque Distinctiones; unde ad *Artificiales* Notiones Regulasque excudendas provehitur. De quibus hîc immorari non expedit; tum quòd sint jam in Præliminario meo Quarto, magnâ ex parte, expositæ; tum quòd magis proprius posthâc de iis tractandi futurus sit locus.

Quòd D. *De Grand* Secundam Mentis Operationem pro Primâ imperitè acceperit.

9. His breviter enarratis, videamus jam quid attulerit D. *Le Grand* ad ostendendum quòd Axioma jam dictum, prout ab Aristotelæis intelligi potuit, Veræ Rerum Cognitioni officiat, aut nos in Errorem seducat. Vel potius, videamus an D. *Le Grand* illud in Sensu

sani

sani Sensûs experte, illud intellexerit necne! Instantiam ponit p. 41. quam, cùm sit *Unica*, esse proinde omnium (ut ipse putabat) *Selectissimam* judicandum est. [*Si quis* (inquit) *navigio vectus aut Curru, Terram, Arbores, Domus, aliáque Objecta quæ pertranſit, moveri existimat, cùm tamen ipse solus moveatur.* Mirum certè Virum ingeniosum, qui adeò Exactam in *Logicâ* peritiam in Prætatione suâ professus est, adeò Primorum Logices Elementorum oblitum, ut *Secundam* Mentis Operationem pro *Primâ* accipiat, vel potiùs *utramque confundat*. Nam [*Existimo Arbores moveri*] ad *Judicium* spectat, in quo *tres* simplices Apprehensiones, *Subjecti* scilicet *Prædicati* & *Copulæ* inveniuntur. Nos nihil Sensibus tribuimus, aut iis inesse censemus præter Particulas ab Objectis Externis decisas, quæ transferuntur a Sensibus ad *Cognitionis Sedem*; indeque in Animam, ubi efficiunt Notiones seu Apprehensiones Simplices; e quibus, per Comparativam Animæ Facultatem, Notiones Prædicati & Subjecti adse invicem considerantem, *Propositio Mentalis* (apta *Judicandi* Materia) conflatur. Num existimat D. *Le Grand* quenquam mortalium, nedum Doctum, adeò penitùs deliràsse ut *Judicia Sensibus inesse* asserat vel existimet. Proferat vel *unum* aliquem ex Aristotelæis qui hoc unquam dixerit. Infausto itaque omine D. *Le Grand* in ipso vestibulo, ubi verus Quæstionis status liquidò exhibendus erat, cæspitat; quin & sæpissime etiam alibi in *eundem* Errorem incidit; quod, vel in his qui Logicam *summis* (ut aiunt) *labris* degustârunt, dedecorosum foret & pænè Ferulâ dignum. Unde, quàm imperitè in reliquis *Dissertationis* suæ partibus se deinceps gesturus sit haud

haud difficile erit Lectori augurium deſumere: Et, pro hâc vice D. *Le Grand* Vadimonium meum præſtabo, quòd nihil quicquam quod ſapientius aut Philoſopho dignius eſt, ab initio ejus uſque ad finem, ullibi protulerit, quando ad *Lapidem Lydium*, Veritatis *Indicem*, expenſum fuerit.

Diſcurſus D. *le Grand* hâc in re ad Categoricam Propoſitionem, eámque abſurdiſſimam, reductus.

10. Ut autem Methodum, quam ad Carteſianos confitandos in initio propoſuerat, ad amuſſim obſervem, reducam ſenſum Diſcurſûs D. *Le Grand* in Propoſitionem Categoricam, quò clarius cernamus quali Terminorum Connexione ſtabiliatur. Eſt autem ea hujuſmodi.

Ariſtotelei aſſerunt Judicia *ſeu* Propoſitiones, *quæ Intellectui noſtro inſunt, prius fuiſſe in Senſibus.*

Quod tum *Falſum* eſt, tum maximè *Ridiculum*; nec à quoquam ab Orbe condito, ſano vel inſano, dictum aut cogitatum; nec etiam, tanquam Paradoxum, unquam propoſitum fuit.

INDI-

INDICATIO Secunda,

Imperitissimè Cartesianos Definire ac Dividere Cognitionem; *necnon, Opinionem eorum, quod* Voluntas *sit Causa* Connexionis Terminorum, & Judex *pro Arbitrio suo decernens an Thesis aliqua sit* Vera necne, *esse tum Contradictionibus factam, tum Perniciosissimam, Ostendens.*

11. PRimum notatu dignum quod in *Dissertatione* ipsâ occurrit est *Definitio Cognitionis* quam D. *Le Grand* §. 8. formare adlaborat, & nobis exhibet. Ait itaque Primò (idque rectè) quod *Cognitio* sit ipsa *Mentis Inspectio, Perceptio, Intellectio*, &c. quod variat tantum Vocem per alias ei quoad sensum æquivalentes: Et tandem concludit, Definitionem *Cognitionis in genere* esse hujusmodi; scilicet, *Ea Mentis operatio, quâ quicquid Mentem attingit, aut in eâ actu est, percipit.* Quod apertissimè est ponere *Definitum* in *Definitione*. Nam cùm *Perceptio* ponatur ab ipso esse idem quod *Cognitio*; etiam [*percipit*] idem est quod [*Cognoscit*:] Quare, Definitio data omninò æquivalet huic [*Cognitio est quâ Mens cognoscit*, &c.] Quod nihil omninò explicat, ac proinde *Definitio* non est; cùm æquè Obscurum sit quid sit *Cognoscere* (seu *percipere*) atque est [*Cognitio*,] seu [*Perceptio*.] Malis itaque avibus D. *Le Grand* in ipso *Dissertationis* suæ vestibulo

Quàm absurdè D. *Le Grand* Cognitionem *definit.*

vestibulo non tam titubat, quàm corruit, humíque procumbit. Frustra etenim inquiritur, Quænam sit *Ratio Cognoscendi*, nisi prius sciatur quid *Cognitio* sit; aliter siquidem de re ignotâ *disseretur*: quo nihil magis Stolidum aut Ridiculum vel fingi potest.

Ratio cur Cartesius aliique Scriptores malè definiunt Notiones valdè Generales.

13. Cæterùm nè ad arguendum alios potiùs quàm ad eosdem docendum minùs propensus videar; exponendum mihi est unde evênit quod tot ineptas Definitiones *Cartesius*, & multi alii compegerint. Id autem accidisse mihi constat ex eo quòd ad veras Logices Regulas, & ad Notiones illas quas exhibet nobis Scientiarum Suprema, *Metaphysica*, non satis respexerint. Docet quippe Logica Definitionem omnem debere fieri per *Genus* & *Differentiam*; ut & *Generica*m Notionem debere *Latiorem* seu *Communiorem* esse quàm sit Ratio *Definita*. Unde cùm Notiones aliquæ *valdè Generales* definiendæ sunt, quales sunt, *Motus*, *Ens* seu *Substantia*, *Modus*, *Spiritalis* Natura vel ejus Operationes; fit; ut dum à Metaphysicâ *Generaliores* Notiones mutuò petere nolunt, sed intra Physicas se continere satagunt, inter quas Notiones Definiendæ *Supremæ* sunt, adigantur vel ad Notiones pro Genere ponendas, quæ *æquivalentes* seu *æquè* Generales sunt; ut facit hîc D. *Le Grand*; vel etiam ad *magis particulares* quàm sit Notio definienda, prout accidit *Cartesio* & *Rohaulto*, dum definiunt *Motum* in genere, per *Applicationem* & *Translationem*, (ut in Præf. p. 24. videre est;) quæ non nisi *particulares* Motûs *Species* sunt; licèt illas dicti Authores loco *Generis*, in definitione *Motûs in communi* ponant. Quem absurditatis scopulum cautè evitavit *Aristoteles*, cùm Motum in communi per Notiones Metaphysicas, *Actûs*

scilicet

scilicet, *Potentiæ* & *Entis* definivit. Nulla siquidem alia Ratio *Generica Motûs* (qui *Actus quidam* seu Determinatio Subjecti est) quam *Actus* in communi, in toto penu Philosophiæ reperiri potest; saltem nulla quæ ab omni Exceptione immunis est.

12. Cùm autem asserat D. *Le Grand Philosophos aberrare* dum quæ *clara sunt & omnibus innotescunt, definienda suscipiunt*, libenter ei assentior. At pariter aio, Nullam esse Notionem præterquam ẽs [*Esse*] seu [*Existentia*,] quæ sub Definitione, vel saltem Descriptione, non cadat. Verum quidem est *Summa* omnium *Genera* non habere Notionem ullam se *Superiorem*; quæ, in proprio Vocum Artificialium usu, nomen *Generis* mereatur; quo in casu, Vocem aliquam *Transcendentalem*, Generis quasi Vicariam, ponere coguntur Philosophi; v.g. [*Quod, id quod*] & hujusmodi; quæ ad Descriptionem Logicam sufficiunt, & Discursibus de hujusmodi Notionibus utilia sunt, & naturæ ipsarum Generalissimæ quadrant. Pernego autem Notiones illas quæ crassè & rudi more, & quasi Practicè, *per-se-notæ* sunt omnibus, *definire* aut explicare non debeant. Nam, vel quilibet è Fœce Vulgi, nemine docente, novit, *crasso* modo, quid sit Calidum, Frigidum, Durum, Molle, Siccum & Humidum, &c. Non tamen idcircò dedecet Philosophum hæc omnia *Definire*; nisi quis contendere velit Artem quæ Reflexione Mentis comparatur, nihil Naturæ rudi & Reflectere nescię, addere vel conferre. Imò, quod amplius est, ex dictis Vulgi, Notionum Vulgarium naturas excipiscari, & in Definitionem Artificialem eas reducere, & concinnitate quâdam compingere, non minimum veri Philosophi *Officium* est; Etenim

Omnes quas habemus Notiones definiri debent, præternotionem *Existentiæ*.

Etenim sic Reflectendo, ad *exactiorem* Definiendi Cognitionem perveniendi dabitur copia. Non enim, ut videntur existimare Cartesiani, Ideæ vel Notiones, simul ac in Mentem venerint, *statim* Clarissimæ ac Distinctissimæ evadunt, sed paulatim perficiuntur, politiuntur & evidentius penetrantur: Nam ad præsentem Animæ statum dum Corpore unitur, connaturalius & congruentius spectat, ut non nisi tardis gradibus *suo modo crescat*; &, ex *Potentiali* quam ibi habet, conditione, pedetentim reducatur in *Actum*. Existimat forsan D. *Le Grand*, Notiones valde communes non debere definiri aut describi, eo quod *ex se* satis Claræ atque Evidentes sint: Cujus contrarium *nupera* Experientia nos edocuit. Nam, si Eximius D. *Lockius* perpendisset quod *Substantia* idem sit quod *Ens*; & deinde definiisset *Ens*, quod sit *id quod est capax existendi*, in qua definitione vox illa Transcendentalis [Id quod] loco *Generis* est, *Differentia* autem *Potentia* & *Actus*, vel *Potentia* ad *Actum existendi*, seu [quod idem est] ad *Existentiam Actualem*; non potuisset non videre quod Primaria significatio vocis [*Ens*] desumitur in ordine ad *Actum* sibi proprium, scilicet *Existentiam*; ratio autem *sustentandi Accidentia*, sic *Secundaria* & Accidentalis Enti. Quare, si hanc viam iniisset, agnovisset necesse esse ut habeamus notionem *Entis*; quis enim non habet in se sensum verborum istorum [*Id quod potest existere.*] Cum tamen Notio (nescio cujus) *Fulcri* & *Sustentaculi Accidentium*, sit longe *obscurissima*, nec à quoquam qui non consideret locutionem illam esse Metaphoricam, prorsus *Intelligibilis*. Hallucinatur itaque à vocis [*Substantiæ*] Etymologiâ, quæ significat primariò *id quod substat aliis*, quæ (uti

uti in Præliminario 5. §. 10. notavi) est val-
e impropria, neque unquam a Scholis rectè
explicata; negavit (pro candore suo) nos ul-
am de *Substantiâ* Notionem *Claram* habere;
ndéque occasionem satis justam dedit viris E-
minentissimis, quorum intererat ut *habeamus*
eorum verborum, in explicandâ Fide Christia-
nam *Formam*; cum hâc ex parte, impugnandi.
nterim, debemus nos gratulari Mundo ob Fe-
icem illum Errorem, ex quo fluxerunt tot
Conflictationes seu Dissertationes tum Elo-
quentes atque Ingeniosæ, tum ultra vulgus
criptorum, valdè Eruditæ. Usque adeò, ubi
utrobique candor est, & sincera *veri* prose-
quendi Intentio, vel superficiales Errorum
Nævi in Bonum Commune cedunt, atque ad
Veritatem emendandam conferunt.

14. Verùm, ut ad *Cognitionis* Definitionem reverta-
mur, fateor me nescire unde acciderit quòd Aristoteles eam nunquam definiverit. Ve-
rùm, cùm dixerit quòd *Anima intelligendo fiat quodammodo* (seu modo spiritali ac Cognoscitivè) *omnia*, nonnulli *Aristotelici* Definitionem istam ex multâ Reflexione collegêrunt; nempe, quòd *Cognoscere sit esse aliud ut aliud*. Cujus Definitionis ex se satis Obscuræ (nec mirum cùm naturam Operationis Spiritalis, quæ Phantasiam transcendit, explicare conatur) has rationes assignare mihi licet, & sic discurro. Cùm *Spiritalis* Natura *Corpoream* pænè infinitè transcendat atque exuperet, & in altiore *Entis*, seu *Capacis Existentiæ*, gradu constituatur; id Privilegii inter alia, præ alterâ habet, ut cum *Hac* nihil *sustentare* vel communicare ei *suum Esse* possit præterquam suis ipsius Modis seu Accidentibus; Illa, utpote *Capax esse sedi* in Ordine longè *Superiore*, valeat etiam

Vera ac genuina *Cognitionis Definitio.*

aliæ

alias Naturas ſibimet adjungere modo *Spirituali* ſeu *Cognoſcitivo*; hoc eſt tanquam *Objecta* Potentiæ ſuæ; Intellectivæ eiſque impertiri *eſſe* ſuum *Spirituale* ſeu *Intellectuale*. Porrò, evidentiſſimè conſtat nos cognoſcere *ipſas Res*. Quare, cùm (ut rectè hîc D. *Le Grand* §. 8. licèt ſibimet aliàs contradicens) aſſerat quòd Cognitio ſit *Operatio quæ extra Animam non exeat*, idcircò *Objecta* quoque Cognitionis ſeu [*Ipſæ Res*] *intra* Animam, dum eas cognoſcit, omninò ponendæ ſunt; id quod etiam plurimis Demonſtrationibus in Præliminario meo Secundo oſtendi. Quòd ſi Anima, præcisè *quatenùs* Cognoſcens alicujus Rei Naturam, *habeat* Naturam illam *in ſe*, Natura autem Rem *cui ineſt* talem conſtituat ac denominet qualis *Ipſa* eſt; omninò ſequi neceſſe eſt Mentem, *quatenùs* Naturam aliquam cognoſcit, *Eſſe* Rem illam quam concipit, modo Intellectuali; Licet illamet ipſa Res ſit pariter *extra Animam*, ibíque ſuam Naturam habeat *modo ſibi proprio*, & non prout eſt Potentiæ Cognoſcitivæ *Objectum*. At neque Natura illa Cognita *ſic* afficit Animam perinde ac ſi eſſet *Modus* aliquis *Intrinſecus* ipſi Animæ, prout ſunt *Potentiæ* & *Actus* ipſius; ſed afficit eam, tanquam *aliquid Extrinſecum* ipſi, ſeu ut *Aliud* & prorſus *Diverſum* ab ipſâ. Quæ ſi conſiderentur, & rectè colligantur, dilucet evidenter, quòd *Cognoſcere* ſit *Eſſe Aliud ut Aliud* eſt; & Cognitio, *Mentis Operatio, per quam Anima, præciſe ut Cognoſcens aliquam Rem, ſit, ſeu exiſtit Aliud*; idque *formaliter ut nihil ſui*, ſed *prorſus ut Aliud eſt*. Denique aſſerimus quòd in hac Definitione [*Cognoſcere eſt Eſſe aliud ut aliud*] quæ, licèt non adeò explicativa ſit atque eſt illa Altera, tamen maximè *Concinna*,

Plena

Plena atque Adæquata eſt, τὸ [*Eſſe*] habeat locum *Generis*, quæ eſt Notio Corpori & Spiritui Communis; & quòd *Differentia* ſit, *Modus* ille *Exiſtendi* Objectis in Intellectu Proprius & peculiaris; conſiſtens in hoc quod illud quod Cognoſcitur *ſit ibi*, ſeu *inſit Animæ*, tanquam *Aliud ab ipsâ*. Et, licèt Diſcurſus iſte his qui non Terminorum Connexione ſed *Ideis* Phantaſticis omnia metiuntur, ſit (ut oportet) valdè Paradoxus; tamen ſi cuiquam placuerit *Ratione* Præmiſſas ejus oppugnare, ad ſtrictam Terminorum Connexionem eam reducere nullus dubitem.

15. Unde mirum eſt D. *Le Grand* qui benè noverat hanc Definitionem eſſe nonnullorum Peripateticorum, & diſertè à me Prælimina-rio meo Secundo datam, & (præfiſcinè dictum ſit) ulteriùs à me provectam & magis amplificatam quàm à quoquam hactenus alio; mirum, inquàm, quòd inter reliquas ab ipſo, à §. 3. ad 7. recenſitas Cognitionis Definitiones, nullam omninò de hâc noſtrâ mentionem fecerit, nedùm eam refutaverit, ſed callidè ſenſum ſuum de illâ celârit. Pergit tamen explicare ſententiam *ſuam*, licet ſupprimat *alienam*: & §. 8. ait *Cognoſcere nihil aliud eſt quàm Rem ipſam quæ percipitur, ſibi exhibere; ſeu, quod eòdem recidit, Rem ſibi præſentem ſiſtere.* Quæ ſanè verba, tot plicis contorta ſunt, ut ſi quis ea comprehendere conatur, meram *Nubem*, Obſcuram & Inanem, pro *Junone* amplexabitur. Nam quis mortalium divinare poterit quid ſibi velint voces iſtæ [*exhibere*] & [*præſentem ſiſtere,*] aut denique [*repræſentare*] ſi ad *Rem ipſam*, & Quæſtionem quæ præ manibus eſt, applicentur? Num poteſt quiſquam *exhibere* ſibi illud ut *præſens* quòd longè *abſens*

Plurimæ D. *le Grand* Contradictiones enumerantur.

eſt, forſan in Indiâ, quando de eo cogitatur? Num ſignificant rem ipſam eſſe *in intellectu*, an *extra* illum? Si *in Intellectu* ſit *Ipſa Res*, quid ſibi vult *Repræſentare*, vel quid opus eſt *Repræſentatione* cùm ipſamet *ibi ſit*? Aut ſi nihil in intellectu fuerit niſi *Repræſentatio* Rei, quomodo poteſt dici quòd *Ipſa Res* ibi ſit? Denique quâ Arte Magicâ poterit quis *ſiſtere ſibi Rem præſentem*, ſi poſtquam *ſiſtitur ibi*, non reverâ *ſit ibi*, aut facere ut *ſit ibi præſens*, ſi abſit, aut *alibi* fuerit? Si *Cognoſcere*, ſit, rem ipſam *eſſe* præſentem quando præſens *non eſt*, aut *eſſe intra* intellectum quando eſt *extra* illum, ſanè *Ratio Cognoſcendi* à D. *Le Grand* propoſita ſuper apertâ Contradictione fundatur, & Primis Principiis repugnat. Nam æquè impoſſibile eſt rem ſimul *ineſſe* & *non ineſſe* Intellectui, aut *eſſe ibi* & *non eſſe ibi*, ac eſt *ſimul eſſe* & *non eſſe*. Certè, hujuſmodi vocum præſtigiæ ſatis indicant D. *Le Grand*, neſcire quid in hâc re, quæ maximi profectò momenti eſt, ſtatuendum ſit, ſed in bivio hærere. Si neget *ipſam rem, modo Spirituali* ſeu cognoſcitivo, *ineſſe* intellectui, incidit in caſſes Demonſtrationum mearum; quas fugillare, vel tacitè præterire, longè facilius eſt quàm Connexionem Terminorum, quâ ſtringuntur, ſolvere. Sin affirmet; tunc timet ne ab hominibus Phantaſiæ addictis (quales ſunt Lectorum maxima pars) quarum benevolentiæ captandæ magis quàm veritati tuendæ ſtudet, ingratus aut minus acceptus ſit: Cùm tamen ipſe, viribus fretus veritatis, & Methodo certò ad eam ducenti fiſus, id quod clarè atque evidenter video *Verum* eſſe atque *Demonſtrabile*, nec favore aut Laudibus cujuſquam inſcatus, nec vituperiis aut Convitiis territus, audacter proponam.

ponam. Sic namque futurum eſt ut faciliùs vel Erroris convincendus ſim *ipſe* modò errem; vel meliùs revincendi ac redarguendi ſint *alii* modò Errori patrocinentur: Et, in utroque caſu, optimè Veritati conſultum erit. In quo candido ac ſincero ſcribendi modo conſiſtit *Faſtûs* illius ratio, quem *Sceptici* & *Scioli*, præ reſpondendi impotentiâ, mihi imputant. Verùm, de hoc ambidextro Diſcurrendi & *Definiendi* modo, plura deinceps dicenda ſunt, ubi ad *Grandianum Ideæ* Definitionem ventum fuerit.

Quam perperàm *dividat* Cognitionem, in *tres Mentis Operationes.*

16. Pergit §. 9. ad *Diviſionem* Cognitionis in Species ſuas, & dicit eam ad *tres referri*, *Senſum*, *Imaginationem* & *Intellectum Purum*. Quas *tres Mentis Operationes* §. 12. appellat. Vereor æquè infelicem eſſe D. *Le Grand* in *Diviſione* ſuâ Cognitionis, atque in *Definitione* ejuſdem nuper fuit. Nam ſi *Cognitio*, ſeu *Intellectio*, ſit *Genus* hiſce omnibus, tunc etiam *Differentiæ* huic Generi debent eſſe *Intrinſecæ*; ſeu ad Notionem *Intellectionis* ſpectantes, & ſuperaddere aliquid *Intellectioni*, genericè ſumptæ, intra eandem lineam; cùm tamen impreſſiones ab objecto quod Senſui *præſens* eſt, vel quod ſolummodo *imaginamur* quando eſt *abſens*, quæ ſolæ hîc ſuperadduntur Intellectioni, *Materiales* ſint, ac proinde *toto Genere* ab Intellectione ipsâ Diverſæ. Unde neque *Propriè* neque Impropriè *Species* Intellectionis, ſeu *tres Mentis Operationes* dici poſſunt, ſed omninò Catatachreſticè: quo genere locutionis uti Philoſophos non decet. Multa hîc *dicit*, at nihil *probat*; ſententiam ſuam (pro more ſuo) explicat, non confutat alienam. Ait *Objectum ſenſibile percipere eſt paſſionem ſuam recognoſcere*: quod omninò negatur. Nam,

cùm *rem ſenſibilem percipimus*, Res illa eſt Perceptionis illius *Objectum*; & cum *Paſſionem noſtram recognoſcimus*, tunc *Paſſio* noſtra *Recognitionis* illius objectum eſt; unde cùm *Paſſio* noſtra, & *Res* quam percipimus, *diverſa Objecta* ſint, etiam *Actus Perceptionis* qui circa illa verſantur diverſos eſſe neceſſe eſt: licèt non negem Animam eſſe merè *Paſſivam* in recipiendo has Primas Impreſſiones, ſeu *Simplices Apprehenſiones*. In §. 10. nonnulla vera congerit; ſed nihil ad rem, cùm ab *utrâque* parte *conceſſa* ſint. In §. 11. confundit omninò Notiones *primò inditas*, cum iis quæ *Ratione* ac *Reflexione* acquiruntur; quales ſunt Notiones *Subſtantiæ*, *Spiritûs*, *Chiliogôni*, &c. Supponit ubique particulas è corporibus emanantes, ſimulac ad Senſorium advenerint, ſtatim ibi ſiſtere motum ſuum, & non ulteriùs ad Cerebrum provehi: Et, licèt pernoſcat hanc ultimam ſententiam eſſe *meam*, illam tamen non *tangit*, nec *nominat* quidem, nedum *confutat*. Perſtat itaque firma ſententia illa; &, quod ſequitur, *Res ipſæ*, ejuſdem cum fonte ſuâ Naturæ, ad Cognitionis Sedem pervehuntur; ibíque, ob Identitatem, quam dixi, *Formæ* & *Materiæ* in parte illâ, Notiones, Cognitionis omnis Elementa, generant; neque opus eſt aliquâ Idearum *Elicientiâ* ad hunc effectum. Loquitur de *Intellectione purâ*, qualem nullam eſſe in Homine abſque Phantaſmate aliquo, ſaltem rudi & imperfecto, pernego: Omnes ſiquidem Actiones & Paſſiones totius *Suppoſiti* ſeu *Hominis* ſunt, qui ex duabus Naturis, conſtat; nec proinde ſunt alicujus *Unius* Partis; licèt ſpecialiùs ad *hanc* quàm ad *illam* Naturam utplurimùm referendæ ſint. Loquitur etiam hîc illîc de *Converſione* Animæ ad hanc vel illam

lam Cerebri partem; quod *Situm* quendam diverſum Animæ ſonare videtur; quod nullo alio modo explicari poſſe, ſi ad Principia reſpicimus, exiſtimem, niſi quòd Anima tunc *Attenta*, *Converſa* ſeu *Applicata* eſt huic vel illi Rei, quando Phantaſma illius rei magis fixum ac vividum eſt in Cognitionis Sede; quod quidem *ibi figendi*, vel illinc *amovendi*, *Homo*, ſeu Suppoſitum, Poteſtatem habet *Deſpoticam*, ſeu Abſolutum Imperium; vel ſaltem *Politicam*, ſuadendo ſcilicet, vel Motiva proponendo.

17. Tertium quod mihi confutare incumbit eſt illud ſive Axioma ſive Conſectarium §. 12. adductum; ſcilicet, [*Judicium non ad Intellectum ſed ad Voluntatem referri.*] Quod, ſic crudè prolatum, omninò pernego. Attamen, nè litigemus de *Vocibus*, ſi de *reipſa* inter nos convenire poſſimus, quid mea ſit hâc in re ſententia liquidò exponam. Primò, ſitum eſſe in *Voluntatis* poteſtate Intellectum ad *Conſiderandum*, indéque ad *Judicandum* permovere quoad *Exercitium Actûs*, non autem quoad *Speciem* ejuſdem: Hoc eſt, Homo per Voluntatem poteſt *efficere* ut ipſemet *cogitet*, vel *inhibere* ſe nè omninò cogitet de tali Veritate, applicando attentionem ſuam ei, vel divertendo eam ad *alia*: Facere autem ut *Aſſentiatur*, vel ut *Judicet* Propoſitionem eſſe *Veram*, quando evidenter videt Intellectus eam eſſe *Falſam*; vel ut *Diſſentiat*, vel *Judicet* illam eſſe *Falſam* quando Intellectus perſpicit quòd ſit *Vera*, non eſt in poteſtate Voluntatis poſita. 2. Voluntas ſemper in causâ eſt cur homo *Judicet* ultra quàm *Ratio* ſuadet; nam omnes Actiones Humanæ ab uno ex his duobus Fontibus, *Ratione* ſcilicet, vel *Paſſione* oriri neceſſe eſt. 3. Ex intento

Abſurdiſſimum D. *Le Grand* Paradoxum; ſcilicet, *Voluntatem* eſſe tum *Cauſam* tum *Judicium Connexionis Terminorum*, ſeu *Veri* & *Falſi*.

intento Naturæ, Voluntas *ſequitur* Intellectum, atque ab eo adæquatè *gubernatur*: hoc eſt, *exequitur* ea quæ Intellectus facienda dictat. 4. Movere hominem ad Exequendum ea quæ ad *Praxin Externam* ſpectant *Voluntatis* eſt; non item in *Speculativis*; niſi (ut dictum eſt) excitando ipſum ad Speculandum, vel impediendo illum nè ſpeculetur. His ſtabilitis, quorum unumquodque Demonſtrabile eſt, videamus modò quid nobis ultrò concedit D. *Le Grand.* Fatetur §. 15. quod *propter Evidentiam ſæpiùs aliter judicare non poſſum quàm judico.* Quomodo, obſecro, poteſt *Evidentia* eſſe *Motivum* Voluntati non ſuſpendendi Aſſenſum; cùm Voluntas Evidentiam illam omninò cognoſcendi incapax ſit? Si loco [*ſæpius*] dixiſſet [*Nunquam*] tum veriùs tum magis candidè locutus eſſet: nam tum generali Axiomati in Titulo hîc poſito, contrarium eſt; tum non aliâ de causâ niſi ad Objectionem præveniendam videtur *dictum*, idque gratis. Rationem hujus dicti, nempe [*Quia Voluntas in Falſum, quà tale, ferri non poteſt,*] nequaquam probare poſſum. Nam 1. eſt gratis dictum. Deinde quid commercii habet *Voluntas* cum *Vero* aut Falſo, cùm Objectum ipſius ſit *Bonum* quòd perſequitur, vel *Malum* quod fugit! Deniqne quid ſignificant voces illæ [*Falſum, quà tale*;] cùm Voluntas *ſcire* non valeat an *Falſum* ſit, necne? Et, qui aliter ſentit, ponit *Voluntatem* eſſe *Intellectum*, cujus ſolius eſt *ſcire* vel *cognoſcere*; unde *Voluntas*, ut contradiſtinguitur ab Intellectu, Potentia eſt prorſus *Cæca.* Quare ſenſus dicti illius omninò par eſt huic: [*Cæcus non potoſt deviare, quatenus Deviatio eſt*;] cùm tamen *Cæcus* nihil prorſus nôrit quando *rectà* procedit,

procedit, quando *deviat*. At, quod caput eſt, licèt totum *rectè Judicandi*, ac proinde Veritatis, negotium ab hoc cardine pendeat, & idcircò (ſi quod aliud) iſthoc *demonſtrari* debeat; D. *Le Grand*, de hoc *demonſtrando* nè cogitat quidem; ſed quaſi *in tranſitu* ſolummodò tangit; & leviculâ aliquâ ratiunculâ, à nemine Rationis compote perceptibili, illud dignatur, & ad aliam rem abit. Putat forſan ſe iſtud §. 15. eviciſſe *eò quòd à Judicandi Actione me temperare poſſim*. At hoc ſpectat ad *Exerciſium*, non ad *Speciem* Actûs illius; ſeu ad *rectè* vel *ſecùs* judicandum, vel ad *Aſſenſum* vel *Diſſenſum* præſtandum; in quibus tota ratio *Veri* & *Falſi* poſita eſt. Quid quod manifeſtè pateat hoc evadendi causâ dictum eſſe. Nam §. 14. diſertè aſſerit quod *Solâ Mente ſemetipſam movente* (hoc eſt, ut ex §. illo conſtat, à *Voluntate*) *ſit ut Ideæ inter ſe conjungantur, aut à ſe invicem removeantur*; &, in ſequentibus *Judicem* conſtituit *Voluntatem*, *An Ideæ ſint connectendæ an Separandæ*; hoc eſt, Voluntas, *Cæca* utique (prout ab Intellectu diſtinguitur) Potentia, debet *judicare* utrùm Termini in aliquâ Propoſitione connectendæ ſint necne; ac proindè, an illa Propoſitio *Vera* an *Falſa* haberi debeat. Uſque adeò inſulſa, imò Inſana eſt Carteſianorum hâc ex parte Doctrina, ut omnis Veritatis ſtabiliendæ rationem a *Cæco*, *Incerto*, & ex Peccato Originali *Detorto* Voluntatis *Arbitrio* petendam eſſe affirment. Quo profectò nihil magis *Delirum*, aut Scientiæ Immotis Principiis fundandæ magis *Perniciojum*, excogitari poteſt. Unde augurium deſumere licet, penes Carteſianos eſſe ut, abſque Argumentorum ope, contra quoſcunque Adverſarios ſuos facilè Victores ſint: Afferant namque

que hi quotcunque velint Demonſtrationes, ridiculam eſſe Doctrinam eorum oſtendentes; omnis *Terminorum* in his *Connexio*, unde vim ſuam habituræ erant, flaccida, imò *Nulla* erit, niſi *Voluntati* ipſorum, quam *Judicem* hac in re conſtituunt, placuerit eos eſſe Connexos. E contrà, Ratiunculæ ipſorum, licèt nobis, nondum utique novo iſto Philoſophiæ Spiritu afflatis, ab omni prorſus connexione abhorrere videantur; optimè tamen *cohærebunt* Termini, & ipſæ Veriſſimæ erunt, modò *Voluntas ipſorum*, Ideas illas, Notiones, ſeu Terminos, pro perſpicaci quo pollet *Judicio*, eſſe *conjungendos decreverit* ac determinaverit. Sanè quiſquis hanc Carteſianam doctrinam benè perpenderit, pænè adducetur ut credat, Carteſianos abſurdiſſima quævis Paradoxa deditâ operâ ſelegiſſe, quò ingenium ſuum oſtentent, oſtendántque quàm gnaviter Mundo imponere valeant.

Definitio *Volitionis* quam exhibet, multis nominibus abſurdiſſima eſt

18. At nec prætermittenda eſt Nobiliſſima illa *Volitionis* Definitio quam §. 14. nobis exhibet. *Volitio* (inquit) *latè ſumpta eſt Latio quædam Humanæ Cogitationis verſus Objectum in Ideâ propoſitum ſub notione Veri & Falſi.* Quæ nonnulla admiratione digna continet. Nam ſi *Volitio*, *latè* ſeu generaliter ſumpta, reſpicit formaliter *Verum* & *Falſum* in objecto, tunc nullam Potentiam habebit Homo quâ fertur formaliter in *Bonum*; niſi, inverſo penitùs rerum ordine, dicamus *Intellectum* & *Voluntatem* commutâſſe invicem naturas ſuas; adeò ut cùm Voluntas, invitâ Mundi Lege, arripuiſſet ſibi injuſtè pro objecto ſuo rationem *Veri*, quod Jure Naturæ ad *Intellectum* ſpectabat; Intellectus ad compenſationem damni quod ex Objecti ſui amiſſione ſuſtinuerat, ſurripuiſſet viciſſim

ciſſim a Voluntate objectum *ſuum* & in *Bonum* quatenus Bonum feratur. Porrò, ſi hæc ſit Definitio Volitionis *latè ſumptæ* quòd feratur in Objectum *ſub ratione Veri & Falſi*, & Definitio iſta (ut oportet) ſit *adæquata* Definito; tunc nulla eſt Volitio alterius cujuſpiam rei; Quare, nemo poteſt *velle* ſcribere, edere, proficiſci, dormire &c. nec ulla Volitio poteſt de iſtis haberi; quia nullum horum, & infinitè plurium hujuſmodi, ſpectant ad *rationem Veri & Falſi*; quod ſolum adæquata ratio Volitionis *latè ſumptæ* reſpicit. De Formali ratione quâ diſtinguitur. *Judicium* ab *Intellectione*, de quâ loquitur D. *Le Grand* in §. 15. ſatis dixi in *Methodo* meâ Lib. 2. Lect. 1. §. 3. ubi oſtenditur quòd *formaliter diſtinguantur*; abſque eo quòd opus ſit *Volitionem* actibus Intellectûs immiſcere. Quod, cùm jam legerat Amicus iſte meus, mirum quòd illud nullâ mentione, nedum confutatione dignatus fuerit, ſed nudè ſententiam *ſuam* nobis exhibuerit.

Quàm Firmo atque Immobili Fundamento Ariſtotelæi *Connexionem Terminorum*, ac *Veritatem* ſtabiliant.

19. Quanto ſapientiùs de Terminorum Connexione & Veritatis Fundamento philoſophantur Peripatetici, qui ſic diſcurrunt. Rerum Naturæ à Sapientiâ Divinâ ſtabiliuntur in *Veritate* ſuâ Metaphyſicâ, unde habent quod ſint *tales quales ſunt*. Hinc apta ſunt Fundamenta *Veritatis Formalis*, verorúmque *Judiciorum*; modò ad illas rectè (ut oportet) attendamus, & de iis prædicemus. Porrò, Mens noſtra in hoc ſtatu, non poteſt ullam Notionem *Integram*, quæ ſit Clara & Diſtincta, habere de aliquâ re; ſed, pro variâ Objecti propoſitione & variâ Senſuum imprimentium indole, *Inadæquatas* ſeu *Partiales* cujuſque rei Notiones habet; quas ſic ab Intellectu *Diviſas*, in

in unum denuò, dum Propositionem format, compingit. Hoc peragitur, partim *Sensuum* ope, partim etiam Animæ, seu *Rationis*. Exempli gratiâ. Video Extensum quiddam, quod *Lapidem* homines appellare audio. Extensionis Notio per *Sensum* mihi indita est, & me affectum experior; unde *Ratione* evidenti colligo, *esse aliquid* quod me afficit; quod autem *Est*, [*Res*] seu *Ens* est. Concludo itaque illud quod [*Lapis*] appellant, esse *Ens*, *Rem*, vel (ut Scholæ vocant) *Substantiam*: Extensionem verò, *Modum* illius Rei, seu quiddam ad Rem illam aliquo modo pertinens. *Re* illâ jam in duas Inadæquatas Notiones sic ab Intellectu *Divisâ*, (nam in *re ipsa*, seu prout in Naturâ existit, *Una* & *Indivisa* est, licèt quamplurimis Notionibus nostris correspondeat) rursus per eundem Intellectum, Notiones ad invicem comparantem, eas iterum *conjungimus*, & Propositionem formamus. *Conjungimus* autem illas referendo seu comparando unam ad aliam, necnon ad communem *Entis* Rationem in quâ utramque inveniri cernimus; unde Copúlâ [*Est*] ad hoc rectè faciendum utimur; quod significat ambas illas Notiones seu Naturas in eodem *Ente* (ut est in Naturâ) reperiri; quod idcircò *identificari* dicimus. Hæc Notionum *Comparatio*, prout hîc exponitur, idem est quod *Prædicatio* unius de aliâ; quatenùs, *internè* seu *intra* Mentem exercetur. Verùm, quia in primis cogitationibus sæpiùs fallimur, idcircò *reflectimus* super Operationem istam *Comparativam* seu (ut ita dicam) *Prædicativam*, nuper factam; & si ex cogitationibus *Secundis* & *melioribus* constet nos non deviâsse, sed *rei ipsi* omninò quadrare quod dudum *cognoscere* visi sumus, nec quidquam objici

dici posse; tunc profundiùs demittitur, & altiùs defigitur in Cognoscitivâ Animæ Naturâ, adeò ut avelli inde nequeat; sed *quietè* locum suum possidet, nec ab ullo *dubitandi motu* quatiendum aut dimovendum sit; unde *omninò admittimus* propositionem illam, tanquam *Certam* & *Rei consonam*; vel, quod tantundem est, *Veram* esse eam *Judicamus*, seu omnimodum Assensum ei præstamus. Hoc ista esse attestatur tum Communis hominum Sensus, ipsáque adeò Experientia; nam, cum audimus Propositionem aliquam ab aliis fide dignis prolatam, (& par ratio est de eâ quæ Menti nostræ à nobis ipsis *primò* & *subitò* proponitur) non statim eam tanquam omninò *Veram* admittimus, vel ei ut *Veræ* assentimur, aut (quod idem est) *Veram* esse *Judicamus*; donec recursum ad Principia seu Fundamenta quibus nititur, habeamus; è quibus si adeò evidenter nobis constiterit ut nulla obviare possit *dubitandi* ratio, tunc *Judicamus* eam esse omninò *Veram*. Unde cernere licet *Terminorum* in Propositione omni, quæ *Vera* est, *Connexionem*, super stabili Fundamento juxta doctrinam nostram, nempe super *Rerum ipsarum* Naturis ædificatam; necnon *Veritatem* nullibi præterquam in tali *Connexione* reperiri aut fundari posse; ad quam *Voluntas* nihil confert.

20. Quæ dicta sunt de *Secundâ* Mentis Operatione, seu de *Judicio*, etiam de *Tertiâ*, nempe *Ratiocinatione*, mutatis mutandis, dicenda sunt: Præterquàm quòd in *hâc*, ratio Consequentiæ in Principio *per-se-noto* fundatur; uti in *Methodo* meâ Lib. 3. Lect. 1. §. 3. demonstratum est. Quo Fundamento Peripatetici *Ratiocinationem* extruunt.

21. Sin-

Contradictionum farrago, quæ ab hâc male ſanâ doctrinâ, quòd *Voluntatis* ſit *judicare* de Vero & Falſo, Conſequuntur.

21. Singulas in diſcurſu iſto Propoſitiones, modò Carteſianis eas impugnare viſum fuerit, eſſe rerum naturis conſonas oſtendere in me ſuſcipio. Videndum jam reſtat quàm ſani Sensûs prorſus inanis ſit Theſis iſta D. *Le Grand*, nempe, quòd Voluntatis & non Intellectûs ſit, facere ut *Ideæ* (quæ, ipſis *Notiones*, ac proinde *Termini* propoſitionis ſunt) *inter ſe conjungantur vel a ſe invicem removeantur*; aut ut Voluntas tanquam Judex *de iis connectendis ſeparandiſve* (in quo omnis *Veri* & *Falſi* ratio poſita eſt) *litem* quæ ex Dubietate oritur, *dirimat*. Num poterit Voluntas (prout ab Intellectu contradiſtinguitur, *Cæca Potentia*) *comparare* Ideas ſeu Notiones ad ſe invicem? Num *cernere* valet an in eodem Ente reperiatur illud quod duabus ex illis correſpondeat? Num poteſt *reflectere* ſuper *priores* cogitationes adhuc rudes, & nondum ſatis ad limam redactas? Num penes Voluntatem eſt Principia ac Rationes *expendere*, quorum *luce* meridianâ Dubiorum *Nebulæ* diſſipantur atque evaneſcunt? Num *Voluntas*, cujus eſt ſolummodò *velle*, poteſt *Judicare* de Dubiis? Denique, Num, *Voluntas* facultatem habet vim *Principii* illius *per-ſe-noti* pernóſcere, à quo omnis *Sequelæ* neceſſitas, ac proinde omnis Argumentationis vis unicè pendet? Nihil horum poteſt Voluntas (*Cæca* utique prout diſtinguitur ab Intellectu, ſolo atque unico *Mentis* Oculo, Potentia) *cernere*, *diſpicere* vel omninò facere. Hoſcine itaque Scriptores, qui vel *Prima* Humani Generis *Principia*, convellunt, omnémque *Cognoſcendi rationem*, dum prætendunt eam ſtabilire, *evertunt*; & propriam ac formaliſſimam Voluntatis Naturam cum Naturâ *Intellectûs* confundunt, ipſe impugnare non auſim? Hoſcinè,

Hoſcine, ut ipſe, qui Veritatis Cauſam tueri in me ſuſcepi, illos e Philoſophorum Albo eradendos atque abigendos non proclamem; eò quòd rabulentur ac calumnientur? Abſit à me, abſit a quoquam Docto ac Probo iſtiuſmodi Puſillanimitas ac Vecordia; Abſit ut adeò Inimici ſimus Humano Generi, aut tam parùm Veritatis Amici ac Cultores.

Simplex Apprehenſio eſt omnium Mentis Operationum Ignobiliſſima.

22. Porrò errat toto Cœlo D. *Le Grand* (ut id obiter notem) dum *Simplicem Apprehenſionem nobiliorem eſſe Diſcurſu*, opinatur; nam *Apprehenſiones Simplices* ſunt omnes *Inadæquatæ*, imperfectæ ac Rudes, donec a Reflexis Mentis Actibus, atque ab Arte Definiendi poliuntur ac perficiuntur. Quid quod Anima merè *Paſſiva* ſit in his, cùm in reliquis *Activa* ſit; unde *hæ* magis participant Spiritualem Naturam quàm illæ, quæ ferè a rebus *Materialibus* proveniunt. *Actio* autem, utpote ab *Actu* originata, Nobilior eſt, in *Entis* ſeu *Modi* Entis genere, quàm illud quod merè *Suſceptivum* ſeu *Paſſivum eſt, quod rationem Potentiæ ſapit.* Imò Apprehenſiones Simplices non niſi Materiæ cujuſdam vice funguntur, utpote circa quas Mens in reliquis ſuis Operationibus exercetur; è quibus affabrè compaginatis *Judicia* ac *Diſcurſus* ſuos format; in quibus contexendis, *Activa* eſt. Quòd autem exiſtimet Simplicem Apprehenſionem *Intuitivam* eſſe, *ideóque Deo & Angelicis Spiritibus adſcribi*, Error eſt omnium craſſiſſimus. Nam *intuitio*, cùm in Spiritibus *Puris* ſit, *totam* atque *integram Rem*, quantaquanta fuerit, ſimul ſemélque *comprehendit*; imò omnia Judicia, omnéſque Diſcurſus quos multo labore per totam vitam compingimus, & longè amplius, eminenter ſeu in unico Formali Conceptu complectitur. *Deus* autem

tem longè eminentiori modo, nobísque ignotissimo, Essentiam suam comprehendit; neque Creaturas aliter cognoscit nisi quatenus in semet sunt, & Sapientiæ suæ quasi *Termini*. Quid quòd si *Simplex Apprehensio* fuerit Nobilissima Hominis Operatio, & *Definitio* omnis sumenda sit ab Operatione illâ quæ Nobilissima sit in ipso; sequeretur quòd Homo non definiendus sit [*Animal Rationale*] sed [*Animal simpliciter Apprehensivum.*] Unde in patrocinium atque honorem *Idearum* suarum (quæ Simplices Apprehensiones sunt) paragraphum istum extra ordinem inserüisse videtur Author iste: Nam *Syllogismorum* (ut hic vocat) *Ambages*, & cunctas artificiosè Definiendi, Dividendi & Ratiocinandi Regulas (idque non immeritò) aversatur quàm maximè; eò quòd *laceris* suis & malè-consutis Centonibus quibus unicè fidit, inimici sint.

Non possumus per eundem Actum Conscii esse quòd Cogitemus, aut Cognoscamus.

23. De quæstione illâ, An in quâlibet Cogitatione nostrâ conscii simus quòd cogitemus, satis supérque dixi in *Solidâ Philosophiâ Assertâ, Reflexione* 2. à §. 4. ad 7. quò Lectorem remitto. Fateor equidem rarissimè contingere ut non *Conscii* simus mentis nostræ Operationum, quia rarissimè evenit quin super eas *reflectamus*, licèt nonnunquam hoc accidat. Verùm, ut per ipsummet Actum quò intelligo *Rem* aliquam, intelligam me illum intelligere, omninò impossibile est: uti ibidem §§. 4. & 5. liquidò demonstravi. Quod affert hic §. 20. pro me facit. Agnosco siquidem eum qui *non animadvertit* se Dolorem sentire, non omninò sentire Dolorem, vel saltem non *meminisse* quòd doluerit; quia Animadversio illa est *Reflexus* Mentis Actus; quem, si non habeat, neque *prioris* Actûs, quo Dolorem sensit, reminisci

miniſci poteſt: Nihil enim cognoſcimus ſeu percipimus, per ullam Mentis Operationem, præterquàm id quod Operationis illius *Objectum* erat. Cùm itaque *ſola* Corporis *Læſio* erat prioris Actûs *Objectum*, & non *Cognitio* propria quòd fuerit Læſum (hoc ſiquidem *Sequentis* ſeu *Reflexi* Actûs Objectum erat) fieri non poteſt ut per eundemmet Actum ſimul cognoſcam *Dolorem* & antecedentem ejus *Cognitionem*; unde Conſectarium quod hinc deducit, Præmiſſis deſtituitur. Neque unquam probabit, licèt iterum iterúmque id hîc affirmet, *Conſcientiam* eſſe Actionem *planè Incorpoream*, ſi per voces illas eam eſſe *merè* ſeu *omninò Incorpoream* ſeu *Spiritualem* intelligat. Nam Anima, in hoc ſtatu, eſt *Forma* ſeu *Actus* Corporis tanquam *Materiæ* ſuæ; quare neutra Pars eſt *Ens*, ſed utraque ſimul Unum *Ens*, unam *Rem*, ſeu unum *Suppoſitum* conſtituit; Et, *Actiones omnes & Paſſiones ſunt Suppoſitorum*; licèt Actio aliqua magis præcipuè ac propriè in Suppoſitum, *juxta hanc partem* potiùs quàm illam, referenda ſit. Quid quòd ubi Conſcientia, ob Peccatum aliquod enorme, mordet; malè ſe habere etiam Corpus, & aliquandò in Morbos, imò Phreneſin, incidere homines, experientiâ comprobatum eſt.

24. At contrahenda ſunt pro hâc vice vela; & videndum modò quales *Propoſitiones Categoricas*, quibus fundantur Diſcurſus quos hactenùs exhibuit, D. Le Grand nobis obtulerit. Neque æquum exiſtimabit Lector aut expectabit ut iiſdem omninò Terminis quibus hîc conceptæ ſunt, eas *expreſſerit*: Hujuſmodi Candor nequaquam ſperandus eſt à Carteſianis; qui involucris & ambagibus multiloquii ingenioſi

Fundamenta Diſcurſuum D. *Le Grand* ac Categoricas Propoſitiones redacta.

ingenioſi ſenſum ſuum tegere affectant. *Contentas* autem omninò eſſe illas & *implicitè* latere in oratione ipſius laxâ Lacerîſque Explicationibus hucuſque propoſitis, quivis Lector, modò expendat ſingula loca ad quæ hîc referuntur, vel invitus, perſpiciet. Quodſi D. *Le Grand* eas negaverit eſſe *ſuas*, vel quòd Diſſertationes quas hactenus adduxit iis *ſuperſtruxerit*; orandus eſt ut Theſes hiſce *Contradictorias* ponat & pro *ſuis* agnoſcat. Quod ſi fecerit, pervidebunt omnes vel mediocriter docti, quicquid in Diſcurſibus præcedentibus *ſtabilire* conatus eſt, protinùs ab ipſomet *everſum iri*. Sunt autem Propoſitions illa hujuſmodi.

Idem per Idem definiendum eſt. Vide §. 11.

In Definitione Generis, Species *ejus loco* Generis *poni debet.* §. 12.

Intellectus poteſt Rem ipſam præſentem ſibi ſiſtere, *licet reverâ* Abſens *ſit.* §. 15.

Differentiæ *quæ* Species *conſtituunt, debent eſſe* toto Genere *Diverſæ a Superiore Notione quam Dividunt.* §. 16.

Paſſio *quam Objectum ſeu* Res *nobis* imprimit, *idem eſt cum ipſo* Objecto *ſeu* Re imprimente. §. *ibid.*

Actiones non ſunt Suppoſitorum. §. *ibid.*

Evidentia dirigit Voluntatem quomodo ſe gererere oportet, licèt Voluntas quid Evidens *ſit, non quid* non, *omninò non cognoſcat. Vel, (quod tantundem eſt)* Lux dirigit Cæcum. §. 17.

Veritas *eſt Voluntatis Objectum.* Ibid.

Solâ Voluntate *Ideæ (ſeu Termini Propoſitionis)* conjunguntur, *aut* ſeparantur. *Hoc eſt,* [*Propoſitio ob nullam aliam rationem* Vera *eſt aut* Falſa, *niſi præcisè quia* Ego volo.] Ibid.

Voluntas

Voluntas, *(licèt, prout diſtinguitur ab Intellectu* Cæca *ſit, & nihil omnino cognoſcat,)* Judex *eſt*, dirimens litem *an Propoſitio* Vera *ſit, necne. Aut, quod idem prorſus eſt,* [Cæcus poteſt judicare de Coloribus.] Ibid.

Intellectus & Voluntas habent idem *formale* Objectum, *nempè* Verum. *Et, quod ſequitur, cùm* Potentiæ *ſpecificentur ab* Objectis, [Voluntas eſt formaliter Intellectus.] §. 18.

Ea Operatio Intellectûs Nobilior *eſt, quæ* craſſo *modo* aliquam *Objecti rationem* Inadæquatam *percipit, quàm ea quæ priorem* ſupponit *tanquam* Materiam *ſuam*; includit *eam tanquam* Partem *ſui*; *& ad longè* plura *& ferè* Infinita *Cognoſcenda ulteriùs ſe* extendit. §. 21.

Homo, *qui ex Naturâ* Corporeâ & Spirituali *eſſentialiter conſtat, poteſt habere aliquam Actionem quæ eſt* Omninò Incorporea. *Hoc eſt,* [Res non agit prout eſt.] §. 22.

INDICATIO Tertia.

Quòd Eſſentia *ſeu* Definitio Ideæ *à D.* Le Grand *data, ſit multis nominibus Contradictoria* & Chimerica, *ac Ipſimet* Ignota, *Quàm perperàm* Dividit *Genus quod* neſcit. *Prima Principia Carteſiana non ſunt (ut debent)* ex-ſe-Evidentia, *ſed prorſus* Obſcura; *imò Falſa, Fatua, & Primis Intellectûs Principiis omninò Contradictoria.* Demonſtratur *Carteſianos nulla Principia habere, nec proinde Philoſophorum nomine dignos eſſe.* Elicientia *Idearum ab ipsâmet Mente, ex ſolo Motu in Nervos, tanquam* Occaſione, *plurimis Demonſtrationibus Erroris convincitur. Theſis,* (*ſeu* Subterfugium) *ipſorum quòd Deus annectat, ex ſolo* Beneplacito ſuo, *Affectiones Animæ ſeu Ideas,* Motibus *dictis; eſt Divinæ Sapientiæ injuria, Indigna Deo, Mundi Ordinem pervertit, Cauſarum ſeriem* perpetuis hiatibus *interrumpit; necnon gratis dicta eſt, probatu*

batu Impoſſibilis, fatuis Suppoſitionibus fundata, & Contradictionibus fæta.

25. DE *Ideæ* Etymologiâ, de qua §. 22. agit, nihil habeo quid dicam. Id ſolummodò notandum eſt, *Aliam* eſſe *Rationem* cur nomen aliquod imponitur; *Aliud* quid vox illa ſignificat. Nam Senſus & Significatio Vocum ex *Communi Uſu* deſumitur; licèt *Ratio* cur hoc vel illud Nomen tali Rei *impoſitum* fuerit, in Oblivione forſan ſepelita ſit. Quod itaque unum mihi incumbit eſt, ut non aliorſum hîc accipiam vocem [*Idea*] quàm in eo ſenſu quo ipſe D. *Le Grand* illam accepe-rit; vel ſaltem in eo ſenſu in quo convenit inter nos eam eſſe accipiendam. At ſatis prævideo infortunium meum eſſe, ut licèt is abundè ſe explicuerit, neſciam planè, imò neſciat ipſe, quid per vocem illam ſibi voluerit; cùm manifeſtum ſit ipſum ſignificationes non ſolùm *Diverſas*, ſed etiam *Oppoſitas* voci [*Idea.*] affixiſſe. Verùm, cum ex Polemicâ Præfationis ſuæ indole ſatis pateat, ipſi propoſitum fuiſſe ſe Adverſarium mihi conſtituere, ſeu Doctrinam meam confutare, Explicationem proinde Sententiæ meæ hic præmittendam video. Poſitio autem mea eſt hujuſmodi. Eadem *Natura* ſeu eadem *Res* quæ exiſtit *extra* Intellectum *modo ſibi proprio*, etiam exiſtit *intra* Intellectum modo *Spirituali* ſeu Cognoſcitivo; vel, (quod tantundem eſt) *per modum Objecti*. Quod ſi verum ſit, nullis *Ideis* opus erit; neque tales Res, quales *Spirituales Ideas* effingunt, in rerum naturâ ſunt ponendæ; Unde ſequi neceſſe eſt nullam Claram & Diſtinctam

Quàm doctè confutat D. *Le Grand* Adverſarii ſui ſententiam, *celando* illam. Brevis illius Explicatio.

ſtinctam Notionem nos de iis habere poſſe; neque illas Explicatione ullâ aut Definitione, quæ ſanum ſenſum habent, delineare. Quis etenim poteſt explicare illud quod *nuſquam eſt*, vel quod peius, id quod *Chimæra* eſt. Theſin meam, licèt Phantaſiam longè tranſcendat, *Veram* tamen eſſe, multis Argumentis *demonſtravi*, tum in Præliminario meo Secundo, tum in *Methodo* meâ Lib. 1. Lect. 1. à §. 6. ad 10. Quibus (quod in Adverſario mirum & inauditum eſt) nè verbo quidem reſpondet D. *Le Grand*, niſi quòd in Præfatione ſuâ p. 26. aiat me *laborioſam temporis jacturam in quindecim argumentis* ad id demonſtrandum adducendis, ſuſtinuiſſe. Quod ſanè novum atque lepidum eſt confutandi genus. Procedo in Explicatione Sententiæ illius, allegando Notionem *Rei*, ſeu *Entis* Creati, ab *omni* prorſus Exiſtentiâ *abſtrahere*, nedum ab omni *Exiſtendi Modo*; ac proinde ad Corporeum & Spiritualem Exiſtendi Modos eam omninò *Indifferentem* eſſe; ſeu utrúmvis horum habere poſſe: quod ab omni Contradictionis umbrâ Theſin meam liberat. Denique quò Phantaſiæ Objectionibus occurrerem, addidi in confeſſo eſſe, quod omnes Res Creatæ, interque alias *Corporeæ*, Spiritualem *exiſtendi Modum* habuiſſe ab Æterno in Mente Divinâ, & tamen ſimul habere *alium* Exiſtendi Modum ſibi *proprium*, poſtquàm jam ſunt Conditæ, atque in rerum Naturâ exiſtunt.

Quàm Contradictoria ac *Chimærica* ſit *Ideæ* Natura, juxta D. *Le Grand*.

26. His ita expoſitis, videamus modò quid affert D. *Le Grand* contra Poſitionem ſeu *Concluſionem* meam; (nam *Præmiſſis* ſeu *Argumentis* reſpondere non ei uſu venit) &, utrum refragetur an ſuffragetur ſententiæ meæ. Aſſerit itaque §. 24. quòd [*Idea non eſt pura Rei Imago*,

Imago, ſimplex Pictura, ſimilitudo, aut quippiam aliud à mente noſtrâ effictum,] *ſed* [*Res ipſa concepta & Intellecta;*] *per quam intellectionem Res dicuntur eſſe objectivè in intellectu.* Hactenùs, ſi quâ Fides *verbis*, omninò meam ſententiam amplectitur; Nam mecum aſſerit *Notionem* ſeu *Ideam* eſſe *Ipſam Rem*, & non *Imaginem Rei*; & voces iſtæ [*Concepta & Intellecta,*] exprimunt *Spiritualem* exiſtendi *Modum* quem *Res ipſa* in intellectu habet; quod etiam verba illa §. 25. [*eſſe objectivè in intellectu*] omninò reſonant. Quæ omnia Theſi meæ ex amuſſim quadrant. Quinetiam, verbis proximè ſequentibus, ea quæ jam dixit, adſtruit, [*Quia enim,* inquit, *neſcit* Imaginem non eſſe *Ipſam Rem, nec eandem reverâ Eſſentiam ac Vim habere.*] Nam voces iſtæ ponunt *eandem reverâ eſſentiam* Rei *in* Mente, & *extra* Mentem eſſe. Hucuſque itaque Senſum meum, vix ullo *verbo*, nedum *Senſu*, mutato, omninò exhibet; unde fides, à quovis Lectore candido, locutionibus adeò expreſſis adhibenda videatur; præſertim cùm ad *Definitionem* ponendam atque adſtruendam allatæ ſint, ubi (ſi quà alias) exactè loquendum eſt. At proh fidem Scriptoris Carteſiani! In verbis ſiquidem immediatè ſequentibus, ſcilicet [*Eſt interim Idea* vice rei, ut *per illam cognoſcamus* Rem, *quaſi eſſet ipſa* Res] omnia quæ hactenùs conceſſerat, perinde ac ſi nihil horum dixiſſet, omninò revocat. Attendas, obſecro, Lector; & poſtquam verba *priora* cum his nuper citatis contuleris, dicas ingenuè; Num poteſt *Ipſa Res vices* ſui ipſius gerere? aut poteſt *Ipſa Res* eſſe *quaſi-ipſa-Res?* An Philoſophi eſt abuti vocibus nihil omninò ſignificantibus; vel Definitione Notionem ſeu Naturam *Definiti* (nempè

Ideæ) ſtabilire & explicare; & mox *eam evertere* atque *obſcuriſſimam* reddere. *Corpus* (inquit *Cicero* de Nat. D. lib. 1.) *quid ſit, Sanguis quid ſit, intelligo; quaſi Corpus, quaſi Sanguis quid ſit, nullo prorſus modo intelligo.* Quis mortalium cum tali *Proteo* congredi, vel eum argumentis *ſtringere* valeat, quin Rationum vincula excutiet & eludet? Quid, obſecro ſibi vult vox illa [*interim?*] Quid *Res* quæ ſit *vice Rei*, aut *quaſi Res?* Quid *Res*, quæ cognoſcitur *per* Ideam quæ ſit *Ipſa Res?* Quot Contradictiones, quovis Fidei Myſterio longè inexplicabiliores, intra paucularum linearum ſpatium compegerit? Non Philoſophi, cujus eſt Veritatem propriis vocibus eloqui, ſed omninò Vafri ac Verſuti, eſt ambidextrum iſtud Quæſtiones Philoſophicas tractandi genus. Non Ars eſt, ſed Aſtutia; Non Candor, ſed Duplicitas. Metuebat nè averſionem crearet in viris illis qui Phantaſiâ reguntur, de *Terminorum* autem *Connexiode* nihil nôtunt; ac proinde *Ideas* ſuas eſſe ſolummodò Rei *Vicarias*, non *Ipſas Res* ſtatuit: Demonſtrationibus meis reſpondere imparem ſe novit, ac proinde *verba* mihi *dat*, quò videatur verſus ſententiam meam propendêre. Quare, inter *Scyllam* hanc & *Charybdin* iter tenere *Medium* cautus inſtituit: At malè accidit quod inter *Rem ipſam*, & *Aliud a Re*, quod ei *Vicarium* eſt; inter ſolam *ſimilitudinem* (quam negat) & *Identitatem*; inter *Eandem Eſſentiam*, & *Diverſam*; inter *eſt ibi*, & *non eſt ibi*; nullum *Medium* Magis intervenire poteſt quàm inter [*Eſt*] & [*Non eſt.*] Verbo, *ſorbet* & *flat* inſimul; adeò ut nè *Oedipo* quidem ipſi conjicere licet utra ſit *Anterior* aut *Poſterior* Jani iſtius bifrontis facies.

27. Adeſte

27. Adeste itaque animis, Academici, quos hujusmodi præstigiæ in Cartesianæ Doctrinæ Labyrinthum compulerunt. Adeste, obsecro, & mecum investigate quodnam tandem Rerum genus sint *Ideæ* istæ adeo decantatæ, quas nugivenduli ingeniosi vobis obtrudere satagunt; quò *Res ipsas*, seu *Creaturam Mundi* Visibilem, per quam ad *Invisibilia Dei* cognoscenda surgere possitis, relinquentes, ad Chimeras a cerebro ipsorum effictas toti attendatis: Et, si constiterit D. *Le Grand*, qui tot annos ad *Ideas* istas, licèt sibi ignotas, animum suum appulit, planè *nescire* quidnam illæ sint, nec posse ullam *Claram* & *Distinctam* Cognitionem (quam tantoperè jactat) vobis exhibere de naturâ illarum; sine quâ Cognitione tota Hypothesis Cartesiana labefactatur ac concidit; nolite permittere ut ulteriùs in Errorem abducamini vocibus callidè consutis, & nihil prorsus determinatè significantibus: Neque committatis ut Leges Academiarum vestrarum & Majorum Instituta violentur, non ob Veritatis Defensionem (quod laudabile est) sed ad pessimorum in Philosophiâ Errorum, & Vocularum ignotarum Patrocinium. *Paræsis ad Academicos in Cartesianismum seductos.*

28. Multum laborat D. *Le Grand* in inveniendo quam *Realitatem* habeant *Ideæ* istæ *Ignotæ*, & (ut patet ex dictis, & mox patebit ampliùs) *Chimæricæ*; Et §. 27. Duplicem invenit; *Formalem* scilicet, & *Objectivam*. Verum quidem est, si *Ideæ* istæ Spirituales, *sint*; (nam de *Materialibus* in *Phantasiâ* nemo dubitat) necesse est ut *Realitatem* aliquam habeant; at Quæstio est an dentur *ullæ* omninò *tales Ideæ*; nam, si *Res ipsa* sit per modum *Objecti* in Intellectu, non opus erit *Idea*: eò quòd Rem ipsam *esse in Cognescitivâ* Potentiâ est *Chimæricas* esse Ideas Cartesianas ulteriùs Demonstratur.

Rem ipsam cognosci; neque, in casu illo, *Vicario* aliquo indigere poterit, cùm *Ipsamet* ibi sit. In §. 27. *Aliam Ideæ* Definitionem, prorsus Dissimilem priori videtur assignare; nempe quòd sit [*Ipsissima Intellectûs Operatio repræsentans sibi Rem contemplandam; sive Realis Mentis Actio.*] In priori Definitione Genus erat *Ipsa Res*; in istâ *Ipsissima Mentis Operatio.* Quàm *Chimærica* est Ideæ Cartesianæ Essentia! Primò est (secundùm Genericam sui rationem) *Ipsa Res.* 2. *Aliud* a *Re ipsâ* quod *vices* ipsius gerit. 3. Est ipse Mentis *Actus* seu *Operatio*, quæ non potest vel esse *ipsa Res*, vel *Objectum Cognitum*; at neq; *Vicarium* ipsius, cùm *Actus* ille sit ipsamet *Cognitio.* Quid quòd *Objectum* ex Naturâ rei antecedit Actum, eumque specificat. 4. Non est *ipsa Res*, sed *quasi-Res*; hoc est *Chimæra.* 5. Est *Repræsentatio* Rei; & *talis* Repræsentatio que (ut §. 24. ait) *non est Imago seu Similitudo* ejus: Quod novam & *secundam* Chimæram nobis exhet: Nam *Repræsentatio* quæ non est *Simile* rei repræsentatæ quem sensum habere potest? Quod si dicat non esse *puram* Imaginem, sed pariter *ipsam* rem; tunc, cùm res *repræsentans* & *repræsentata* relativè opponantur, *Tertiam Chimæram* ex fœcundâ suâ phantasiâ D. *Le Grand* nobis impertitur. 6. Difflans & abdicans quatuor ultimas ex his explicationibus, ad Primam Ideæ Definitionem, quasi evigilans, revertitur; aitque §. 26. [*Ideam Solis esse Solem ipsum in intellectu existentem, non quidem formaliter ut in Cœlo; sed objectivè, eo modo quo objecta in Intellectu esse solent.*] Quot novas absurditates in pauculis istis vocibus coacervavit. 1. Ipsissimam meam sententiam non solùm hic *ponit*, sed omninò eodem, quo ipse, modo *explicat.* 2. Vult ut existimet Lector,

hanc

hanc explicationem non esse *meam*, sed *suam*. 3. Falsam, exinde & absurdissimam mihi affingit sententiam, perinde ac si ipse dixissem Res esse *in intellectu* secundum *esse* suum *proprium*, seu secundum *eumdem Modum* quo sunt *extra Intellectum*; aut *aliter* ei inesse quàm per Modum *Objecti*, seu *ut aliud*: & tamen certò novit me, ubicunque Thesin meam explico, Contrarium huic sententiæ quam mihi affingere cupit, tum *asserere* tum *probare*. 4. Et ultimò, aït Res *esse in intellectu quo modo Objecta in intellectu esse solent*. Sed *quis* sit ille *modus* quo Objecta in Intellectu esse solent (quod solum in Quæstione positum est) an scilicet *per se*, modo spirituali; an per *Ideas*; vel per *Repræsentationes* quæ non *similes* rei sunt; vel *Aliud*, quod *Vicarium* est Rei; vel per aliquod, nescio quid, quòd sit *quasi-res*, nihil dicit. Adeò ut Quæstio adhuc hæreat, & conatus D. *Le Grand* adeò laboriosus hâc in re huc tandem redigitur, ut tot Prævarications & & Tergiversationibus, hinc, illinc, ubique desultando, plus operæ impenderit quò nemo mortalium ipsum intelligere possit; quàm quivis alius ut clarum mentis suæ sensum explicationibus ac Definitionibus evidentissimis manifestet.

29. Non prætereundum est quòd §. 29. asserat *Naturam rei non prorsus esse eandem in Conceptu nostro ac in Objecto*. Quare, obsecro? Num, quando concipio Naturam aliquam, *alia* est Natura illa ab eâ quæ *in re* est? Nonne videt hoc est Contradictoria eodem halitu proferre? Nam, si concipio *aliam* Naturam quàm quæ in re est, tunc Falsa erit illa Conceptio; cùm tamen notissimum sit quòd in Simplicibus Apprehensionibus (de quibus hîc sermo est) nec

Alia effugia D. *Le Grand*, in Ideis suis explicandis, *detegantur*.

Veritas

Veritas nec Falsitas insit, aut inesse possit. Rationem dicti reddit; quia *extra cogitationem manent secundum esse proprium—in mente* autem *non aliter* nisi *ut Objecta Facultatis*. Unde apparet D. *Le Grand* adeò penitus Metaphysices ignarum esse ut putet Rationem *existendi* & rationem *Naturæ* seu *Essentiæ* unam eandémque esse: cùm tamen rationem omnis *Naturæ* seu *Essentiæ Creatæ*, eò ipso quod *Creata* sit & non *Divina*, non includere *Esse*, nedùm *modum* aliquem *existendi* in suo Conceptu, sed abstrahere ab omni *Existentiâ* & *existendi modo*, & Indifferens esse ad *Esse* & *non esse*, cuivis, in Metaphysicis vel mediocriter versato manifestissimum sit. Quid autem sibi velit quando dicit *nos sentire quod jungamur propiùs Objecto quod menti per Ideam præsens est*, explicet aut intelligat qui potest. Certè, si reverâ *præsens* sit Menti, *in Mente* est; nam Approximatio *Extrinseca*, seu prout duo Corpora appropinquantur, locum hîc non habet; & si jam *in Mente* sit, tunc loqui de *propiùs* & *remotiùs* quando res omninò *præsens* est, hominis est quid voces quibus utitur sonent non satis intelligentis: Quis etenim, communi sensu præditus, nescit *Præsentiam*, esse omnis *Approximationis Terminum*; unde nil magis stolidum aut ridiculum est quàm dicere quod aliquis *propior* sit alteri, aut *Remotior* ab illo, quando *Præsens* est ei. Ludere autem videtur in voce [*Repræsentatio*;] quæ, licèt ubi in proprio & usitato sensu sumitur, *Similitudinem* solummodò significat; eam tamen accipere videtur pro [*Præsentare*] seu [Præsentem sistere.] Ad quot & & qualia effugia adiguntur, quibus Novitati Falsæ, quam mordicùs defendere volunt, patrocinari decretum est! Exemplis res clarior erit.

erit. Custos Carceris Reum *præsentat*, seu *præsentem sistit* coram Tribunali, quò judicetur: Verùm, cùm in Foro Judiciali *præsens sistitur*, tunc *ibi revera est*. Rursus Legatus *repræsentat* Regem suum in Natione Exterâ; & tunc, Rex *ibi non est*, sed *Alius*, *vices ipsius gerens*. Quæro à Cartesianis, Quonam ex istis modis *est* Res *in Intellectu* (ut asserunt) *per Ideam*, vel (ut D. *Le Grand*) *præsens ibi sistitur*? Si *priori*; tunc ipsa Res cognita *revera est* in *Intellectu*; licèt alio *modo* existendi seu *comparendi*, qui rationem schematis (ut ita dicam) alieni, (quod *Extrinsecum* est Notioni *Rei* & *Naturæ* ejus) habet, vestita fuerit. Sin posteriori, tunc *non est* in Intellectu *omninò*. Unde clarè eloqui debet, & negare quod sit *prorsus* in intellectu; & non vocibus Forensibus & Civilibus abuti, ad suam sententiam celandam & offundendas Lectori tenebras. Philosophi (inquam) est Categoricè loqui & doctrinam suam proprio sermone tradere, & non Æquivocationum ambagibus Politicorum more abuti. Neque enim dubitandum quin D. *Le Grand*, obscuritatem inconnexam hic affectando, Politicastrum se exhibuerit; gnarus, se ab omni Confutationis metu fore tutum, modò Adversarius nesciverit, vel in ambiguo hæserit *quid* confutare deberet.

30. A Natura ac Definitione Ideæ, quam, ut ex jam dictis patuit, neque *ipsemet* D. *Le Grand*, nedum quivis *alius* pernoscere potest, aut etiam *divinare* quid sit; An, scilicet *Res ipsa* concepta; an *quasi-ipsa-res*; an aliquid *Aliud* quod *vicem Rei gerit*; an *Repræsentatio* Rei quæ non sit *Imago* aut *Similitudo* ejus; an *Ipsissimus* Intellectus *Actus*; an *Objectivum* Aliquid, quod *præsupponitur* Actui, & relativè oppo-

Divisio Ideæ a D. Le Grand allata, ad meliùs explicandum Quid sit, quàm potuit ejusdem Definitio.

opponitur ei; nam *Ideam* (tanquam non *Simplicem*, ſed *Compoſitam* ſeu Multiplicem ac multiformem *Chimæram*) eſſe horum ſingula D. *Le Grand* aſſeruit; Pergit §. 31. ad *Diviſionem* Ideæ; ſperans (ut ipſemet ait) exinde Ideæ Naturam melius intellectum iri; nam ſubjungit immediatè [*Sæpè enim contingit ut ex uno Simplice Conceptu rem benè intelligere nequeamus.*] Perinde ac ſi tot Definitiones & Explicationes ſatis largæ & elaboratæ a §. 22. ad §. 31. adductæ, non niſi *unus Simplex Conceptus* eſſent. Certè hæc *Nova* atque hactenùs Inaudita eſt Logicæ Methodus, ſi *Genus* ſit *Ignotum*, fore ut ex ejus Diviſione *Notum* evadat. Nam, cùm omnes Notiones Humanæ quò Generaliores eò Clariores quoque ſint, utpote magis *Simplices*; ſequitur *Differentias* quæ conſtituunt *Species*, *minùs* Generales eſſe, ac proinde *Obſcuriores* quam fuerit ipſum *Genus*; Quod autem id quod Obſcurius eſt, reddat id quod *Clarius* eſt *magis Clarum*, Monſtri inſtar habet. Quid quòd ſuprà (Exam. 1. §§. 34, 35, 36.) luculenter demonſtraverim omnem Diviſionem Generis vel Speciei, quæ Intrinſecâ ac Propria eſt, per *plus* & *minus* de Ratione Communi deſumendam eſſe: unde niſi Generica vel Superior Ratio probè nota fuerit, nihilo plus Cognitionis de eâ poſſumus ex *Diviſione* ipſius nanciſci, ex eo quòd *plus* vel *minus* de Naturâ ſeu Notione adhuc *ignotâ* in membris Dividentibus reperiatur. Jam inſudaverat D. *Le Grand* per *Definitiones* & *Explicationes* ſatis operoſas in apertâ luce conſtituere *quid ſint* Ideæ iſtæ Carteſianæ, è quarum Cognitione tota Hypotheſis illa *unicè* atque *integrè* pendet: Conſcius autem ſe nihil quicquam profeciſſe, per hanc Tranſitionem *di-*

verti

vertit Lectoris animum à considerando quàm *Obscuram* hactenùs eam reliquerat, ingerendo spem (nè satisfactione frustratus malam de Cartesianismo opinionem imbibat,) se, ex *Divisione* earum, Defectum *Definitionum* suarum atque *Explicationum* suppleturum. Quasi verò extremæ Dementiæ non esset, *Dividere* quod *nescit*. Dividere tamen Genus illud, licèt *Ignotum* sit, ipsi decretum est; idque in Ideas *Innatas*, *Adventitias* ac *Factitias*. In quibus prosequendis (præsertim §§. 32, 33, 34.) *explicat* quid Cartesiani de iis existiment, at nihil *probat*; neque ostendit omnes illas Cognitiones quas enumerat, non posse *alio modo* acquiri quàm *per Ideas*; scilicet Reflectendo super Notiones nostras Communes, easdémque *comparando* atque inter se *Connectendo*. Quare, *Explicet* adhuc per me licet; nunquam tamen efficiet ut per *Divisionem*, magis Evidentem habeamus *Ideæ* Notionem quàm per *Definitionem*, cujus *Solius* est declarare ac manifestum reddere, Quid *Res sit* quam definire suscepimus. Interea, hîc (ac pænè ubique) quantum à verâ Logicâ abhorreat *Methodus Cartesiana* dispicere licebit: Imò quòd Artem omnem spernant isti, & in contemplando Ideas è proprio suimet Cerebro effictas, totam Discurrendi, Demonstrandi & Scientiam Comparandi rationem collocent.

31. Cæterùm, §§. 31. & 32. mentionem ingerit de *duobus Principiis Cartesianis*, nempe, *Mentem facultatem habere Ideas ex semet eliciendi*; &, quòd ad hoc faciendum, non ab aliquâ *causâ Propriâ* permotâ sit, sed *excitata* à Motu in Nervos tanquam *Occasione?* Horum Veritas, adeò Fundamentalis est ad Hypothesin Cartesianam *de Ratione Cognoscendi* extruendam

Primum Cognoscendi Principium à Cartesianis positum, non esse, ut oportebat,

ex-se-Evidens, sed omninò *Obscurum*, ac proinde *Nullum*.

dam ac stabiliendam, ut totius Quæstionis illius Cardo his verti videatur. Nam, si *Facultatem* non habeat Anima *Ideas* eliciendi; tunc enimverò sequitur eas à *Causis Externis* Menti esse inditas ac impressas; & totum istud *Schema*, hâc, sive Positione, sive Suppositione, inædificatum, prorsus dissolvitur. Et, si *Occasio*, quæ non sit etiam *Causa* (eáque propria) sensu Communi vacua ostendatur, tunc evincetur Prætextum istum *Occasionalem* esse sine Fundamento & gratis allegatum; & ad *Propriam* Cognoscendi *Causam* recurrendum est. Quòd *Prius* ex Placitis istis sit *Principium* Cartesianis, imò in Quæstione istâ *de Ratione Cognoscendi*, omninò *Principium Primum*, abundè patet ex verbis D. *Le Grand*, §. 31. [*Nisi enim* (inquit) *talis esset Mentis Humanæ conditio, ut quarumlibet Rerum Ideas ex semetipsâ formare posset, nihil intellectu consequi posset.*] Illud autem, sine quo *nihil intelligi potest*, est proculdubiò *Primum Intellectûs Principium*; ac proinde non *ex Alio*, sed *ex-se-Evidens*. At tantum abest ut Propositio ista [*Anima habet facultatem eliciendi seu formandi Ideas ex sese*] sit *ex-se-Evidens*, seu sit *Identica*, qualem oportere esse cuncta *Principia Prima*, multis Argumentis evidentissimè demonstravi (Meth. Lib. 2. à §. 11. Lectionis 2. usque ad §. 11. Lect. 3.) ut tota *Quæstio*, & pænè *Controversia* tota de hâc re instituatur. Imò, cuilibet qui Logicam vel à limine salutavit, ex ipsâ Terminorum hujus Propositionis inter se collatione, patebit quàm longissimè absit à Connexione seu *Evidentiâ-ex-sese* Propositio ista: nedum ab hoc ut sit *Identica*; qualem (cùm sit *Primum Principium*) oportere esse eam, ex Primis atque Altissimis Causis in locis jam citatis Demonstratum est.

32. Hinc

32. Hinc Corollarium iſtud evidentiſſimè deducitur; ſcilicet, *Carteſianos eſſe Principiis penitùs deſtitutos*; cùm tantum abſit ut *Primum* ipſorum *Principium*, ſine cujus cognitione ac Certitudine Mens Humana (ut in confeſſo eſt) *nihil intellectu conſequi poteſt*, adeò non ſit, ut oportet, *ex-ſe-Evidens*, ut ſit valdè *Obſcurum* ac *in Quæſtione poſitum*, nec ullam talis Evidentiæ vel *umbram* habeat. Unde provocandi ſunt Carteſiani, ut negent ſi poſſunt, ullam ex ſequentibus Propoſitionibus, *viz.* 1. *Illud ſine cujus certitudine nihil Intellectu conſequi poſſumus eſt Principium cognoſcendi abſolutè Primum.* 2. *Principia abſolutè Prima debent eſſe ex-ſe-Evidentia*; cùm nulla ſe *Priora* habeant quibus probari poſſunt. 3. Quòd [*Mens habeat facultatem eliciendi Ideas ex ſeſe,*] quod D, *Le Grand* ponit pro *Principio Primo* Cognitionis, *non eſt-ex-ſe-Evidens.* 4. Ergo, *Nulla Principia Prima Cognoſcendi habent Carteſiani*, nec proinde *Secunda.* 5. Ergo, *Nihil cognoſcere poſſunt.* 6. Ergo, *non ſunt Philoſophi habendi.* Ad has incitas redacti, his anguſtiis deprehenſi & concluſi, expecto quomodo ſe extricare valebunt.

Demonſtratur quod Carteſiani *nulla Principia* Cognoſcendi habeant, nec proinde *Philoſophi* habendi ſint.

33. * Atat, non ſolummodò *Obſcurum* eſt iſtud Carteſianorum Principium Primum; qualia ſi allegant ex Phiioſophorum Albo merito expungendi ſunt; ſed eſt præterea omninò *Falſum*, & Primis Intellectûs Notionibus Principiiſque *Contradictorium*. Quod ſic demonſtro.

* Principium Primum Cognoſcendi Carteſianorum, eſſe etiam Primis Intellectûs Principiis *Contradictorium* demonſtratur.

34. † Demonſtratio 1. Mens, antequam elicuit ſeu formavit Ideam aliquam *ex ſeſe*, erat ſolummodò in *Potentiâ* ad illam eliciendam. Illud autem quod eſt *in potentiâ* non poteſt, ſe ſolâ, eſſe Cauſa reducendi ſemet *in Actum*.

† Demonſtratio Prima.

Nam

Nam cùm *Actus* sit Nobilior quàm *Potentia*, Causa *Nobiliorem semet* Effectum producet? Quod omnis Causalitatis rationem tollit, totius Mundi Ordinem pervertit, éstque contrarium his Principiis [*Unumquodque agit secundum quod est in Actu. Nihil potest agere ultra vires suas, vel ultra id quod potest. Et, nihil dat quod non habet.*] Dices; Potentia *merè Passiva* non potest se reducere in *Actum*; v. g. *Materia* non potest *se solâ*, dare sibi *Formam*; At Potentia hîc est *Activa*; quare Argumentum non concludit; cùm dispar sit harum Potentiarum ratio. Respondetur, Quod [*Activa*] & [*Passiva*] sunt *Differentiæ* Potentiæ in Genere; unde in Genericâ ratione utræque istæ Potentiæ conveniunt. Nam, licèt Potentia illa de quâ loquimur sit *Activa* respectu *Actûs sui*, est tamen *Indeterminata ex se solâ*; seu *Determinabilis*, quod *Potentialitatem* satis indicat, respectu Causæ Determinantis; quæ omninò requiritur antequàm possit in *Actum* exire; unde Philosophi & Theologi Scholastici *Præmotionem* Physicam requirunt ad omnem Actionem Naturalem *Antecedaneam*. Præterea, *Objectum* menti inexistens *Forma* est Potentiæ Cognoscitivæ, quæ determinat illam formaliter ad talem Actum, imò *specificat* Actum ipsum; adeò ut *Actus* Cognitionis est talis seu *hic* vel *ille*; quia *Objectum* est *tale*, seu *hoc* vel *illud*. Unde non magis potest Mens *Objectum* suum, quod est *Forma* Potentiæ, sibi tribuere, quàm *Materia* possit *Formam* aliquam particularem sibimet impertiri. Quod ducit nos ad Secundam Demonstrationem, qua prior roboratur.

Demonstratio Secunda.

35. Demonstratio 2. Nulla Causa potest agere *contra id quod* est, vel producere Effectum *Contradictorium sibi*. Quare, quod est *Indeterminatum*

minatum, non poteſt, *ex ſeſe* cauſare Determinationem ſui. Sed Anima, juxta Carteſianos, ante elicientiam talis Ideæ erat *Indeterminata*, cùm meram *Facultatem* ſeu *Potentiam* habuerit eam eliciendi; & tamen, abſque ullâ *aliâ Causâ*, ſed *ex ſe ſolâ*, determinavit ſeipſam, & *Determinatam* Ideam elicuit: Quare agebat Mens, in eo caſu, *contra id quod erat*, ſeu produxit Effectum *Contradictorium* ſtatui in quo erat; quod omnem Cauſalitatem prorſus interimit.

36. Demonſtratio 3. *Idem manens Idem ſemper facit Idem*; ſcilicet, quantum eſt ex parte *Cauſæ*. Sed Anima erat eadem, ſeu æquè in Potentiâ ad Ideam illam eliciendam *antequam* illam elicuit, ac *quando* illam *elicitura* erat. Ergo, debuit *Mutari* Anima ab aliquâ *Causâ*, quò eam *nunc* potiùs quam *antè* elicere poſſet: quod negant Carteſiani. Nam, ſi aliquo tempore ante eliciendum erat æquè in potentiâ ad talem Effectum producendum, nec tamen illum produxerit, nulla potuit eſſe ratio quare Ideam non elicuiſſet *antea*, vel cur eam elicuerit *poſtea*. Notandum Carteſianos negare Occaſionem, quam ponunt, fuiſſe *Cauſam*; de quâ inferiùs. Demonſtratio Tertia.

37. Demonſtratio 4. *Nullum Indiviſibile poteſt agere in ſemetipſum.* Nam tunc Res illa, utpote *partes nullas* habens, erit ſecundum ſe totum, ſeu *reſpectu ejuſdem* (ſcilicet ſui ipſius) in *Actu* ac *Potentiâ* ſimul: nam dum *agit in ſemetipſum*, tum *Agentis*, tum *Recipientis* illam Actionem, (ſive *Patientis*,) idque eodem momento rationem habebit: Quod evidenter Contradictorium eſt atque Impoſſibile. Imò, nullum Agens, etiam *Diviſibile*, & propter eandem rationem, id facere valet. Nam li- Demonſtratio Quarta.

cèt Homo, ſecundum *unam* Corporis ſui *partem* quæ *in actu* eſt, poſſit movere, ſeu agere in *aliam*; tamen, ut *omnes* partes Corporis in *omnes* eaſdem Corporis partes ſimul agant, eáſque moveant; ponit Idem, *hic* & *nunc*, & *reſpectu ejuſdem*, hoc eſt, *in omni reſpectu*, eſſe tum *Agens*, tum *Patiens*, hoc eſt, *non-Agens*; quod evidentiſſimè Contradictionem involvit.

Demonſtratio Quinta.

38. Demonſtratio 5. Philoſophi Scholaſtici, quando de novâ *Formâ* (ſeu *Actu*) in corpore aliquo producendâ diſcurrunt, ſolent dicere illam *è potentiâ Materiæ* Educi, ſeu Elici; Et ſanè cum optimâ ratione non ſolum Potentiam in *aliâ* quâpiam re *Activam*, ſeu talis Effectûs *Productricem* ponunt; ſed, Potentiam quoque *Paſſivam* in *Materiâ* è quâ educatur: Unde etiam Carteſiani, qui Animam tum *Activam* tum *Paſſivam* reſpectu *ſuipſius* conſtituunt; non ſolùm Potentiam *Activam*, ſeu *Elicitivam* Ideæ, ponere debent, ſed etiam *Paſſivam* è quâ eliciatur. Quod hîc tum *naturæ rei*, tum doctrinæ quoque ſui *ipſorum* minimè quadrat. Nam ponunt Animam eſſe *Rem diſtinctam à Corpore*, ac proinde, ut talem, *Actum Purum*; hoc eſt, omnis Potentiæ Paſſivæ *expertem*. Imperitiſſimè itaque exiſtimant Ideas ex Animâ ipsâ, tanquam ex *Materiâ* quâdam eis congeneâ, *elici* ſeu *educi*, quæ *nullam* talem Potentiam *Paſſivam* habet è quâ educi aut elici *poſſint*. Profitentur quidem Philoſophi Peripatetici Animam in hoc ſtatu, habere Potentiam recipiendi Impreſſiones ex Objectis, ob Identitatem Immediatam quam habet cum *Sede Cognitionis*; verùm, ponunt ſimul eam eſſe hîc in Statu *Potentiali*, & eſſe eandem *Rem* (licèt non eandem *Naturam*) cum Corpore. Dicunt etiam

etiam eam habere vim Notiones ſuas comparandi, componendi, dividendi, addendi, amplificandi, &c. Verùm nihil, nè quidem horum, exercendi poteſtatem tribuunt Animæ *ſoli*; aut *omnino*, niſi imprimentibus, excitantibus, concomitantibus, & ſæpiùs recurrentibus Phantaſmatibus quæ in Cognitionis Sedem impinguntur, ibíque operantur; imò, ubi res poſtulat, ibi deſiguntur aut continuantur; hoc eſt *Homini*, non *Menti ſoli* hæc omnia tribuunt; unde Axioma illud ſolidiſſimum, *Actiones & Paſſiones ſunt Suppoſitorum.* Verùm, ob potentialem ſtatum ſeu *exiſtendi modum* quem habet Anima dum in Corpore ineſt, & non aliunde, hæc omnia ei competunt; nam ei, *extra corpus*, & *intuitivè* & *inſtantaneè* per modum Puri Spiritûs operanti, contraria his omnia tribuenda ſunt. Cæterùm, ſapientiores ſunt Ariſtotelæi quàm ut afferant Animam habere *talem* Potentiam Paſſivam, ut ex ipſius Potentiâ, & quaſi viſceribus, prout eſt Naturæ purè *Spiritualis*, ullæ *Ideæ*, ſive ſint *Res ipſæ*, ſive *Repræſentationes Vicariæ*, ſive *Actus*, eliciantur. Totum quod dant animæ eſt, ut circa Notiones ſeu Res ipſas in Intellectu per modum Objecti inexiſtentes, tanquam circa *Materiam* ſuam, juxta naturam ipſius Animæ operetur. Ex quo nulla violentia Principiis Logicis, Phyſicis aut Metaphyſicis infertur; ſed *Conſonam* eſſe iis omnibus Doctrinam noſtram *De Ratione Cognoſcendi*, ſuſtinere ac demonſtrare parati ſumus.

39. Dicet forſan D. *Le Grand* quod certum ſit Animam *Actus* ſuos in ſemet recipere; quare habere eam aliqualem *Potentiam Paſſivam* negari non poteſt. Reſpondetur; Voces illas [*Recipere, ſuſtentare, inhærere*, &c.] ſpiri-

Quo ſenſu Mens habet Potentiam aliquam *Paſſivam.*

tualibus præſertim Naturis applicatæ, ſunt omnes Metaphoricæ: *Reverâ* autem, ſeu *literaliter* nihil aliud ſunt quam *alio modo ſe habere*; ſeu in noſtro caſu, *eſſe* (quoad quiddam Extrinſecum naturæ ſuæ propriæ) *alia res quam priùs erat*, vel *habere in ſe cognoſcitivè aliud Objectum quam priùs habuerat*. Petet iterum, ſi hoc ita ſit, in quo conſiſtat ratio *Actûs* cognoſcendi. Reſpondeo, præcisè in hoc, quòd *Objectum* intellectui inexiſtens, tanquam *Forma*, determinet *Potentiam* ſeu *Indifferentiam* Facultatis, veluti (ut ita dicam) *Materiæ* ſuæ; è quorum complexione conſurgit *hic* vel *ille Actus*, tanquam *Compoſitum* ex utroque: quòd nihil aliud ſignificat quàm quòd Anima *jam alio modo* ſe habeat quoad Facultatem ſuam Cognoſcendi, quàm *antè*.

Occaſio, quæ non eſt *Cauſa*, non poteſt *determinare* ad *hanc* vel *illam* Ideam eliciendam.

40. Fortaſſe reſpondebit D. *Le Grand* Argumento meo Secundo, quòd Motus in Nervum, ab Objecto factus, *determinet* Animam ad agendum, *excitando* illam. Quod monet me de altero illo Principio; quod, ſi *Primum* non ſit, ſaltem eſt Principio jam confutato Annexum, & ad vim ei conferendam valdè Neceſſarium. *Aiunt* ſiquidem Mentem non formare ullas Ideas niſi ex Motu in Nervos, tanquam *Occaſione* excitetur. Quam tamen *Occaſionem* non eſſe *Cauſam* Ideæ volunt, cùm ſit ipſi *omninò Diſſimilis*; Effectum autem *Similem* eſſe cauſæ ſuæ aſſerit §. 100. Quare, inveſtigandum nobis eſt *quid* ſit *Occaſio* illa quæ ſub nullo genere Cauſarum comprehenditur. Quæro itaque a Carteſianis an Vox iſta [*Occaſio*] ab ipſis in Senſu *Naturali* an *Morali* accipiatur? Non *Naturali*; nam omnis Influxus quem unum Agens *Naturale* habet in *Aliud*, eſt per modum *Cauſæ*; & tunc (ut in confeſſo eſt)

est) habebit Effectum sibi *Similem*; quod omninò *negant*; dum aiunt Motum illum esse prorsus *Dissimilem* Ideis: unde in Sensu *Naturali* non potest accipi ab illis vox ista [*Occasio.*] Porrò, si in Sensu *Morali* intelligatur, tunc enimverò necesse est ut induat rationem *Motivi*; quod, Intelligenti Rei propositum, agit per Modum *Causæ Finalis*; sicut cùm dicimus [*Occasio facit Furem:*] Opportunitas enim Loci, Temporis & aliarum circumstantiarum, monet Furem se posse *hic* & *nunc*, absque periculo, Prædæ suæ compotem fieri; quod *permovet* ipsum ad *actu furandum*. Unde existimare debemus Animam hoc modo secum discurrere. Jam à motu in Nervum me excitari percipio; unde moneor ut *Facultatem* meam Ideas eliciendi exeram, atque idcircò Ideam hanc vel illam *eliciam*. At hoc ponit Animam habere *jam* in antecessum Ideam Determinatam de Ideâ *illâ* quam, sic excitata, elicere intendit. Si neutro ex his modis concurrat *Occasio* ad Ideas eliciendas, fateor me nescire prorsus quid *Occasio* illa conferat, vel quem Sensum habere possit. Non posse autem *Occasionem* ita operari, aut *Facultatem* illam, quam Mentem habere imaginantur, *Determinare*, sic Demonstratur.

41. Demonstratio 1. Omnis Actio cujuscunque Facultatis seu Potentiæ est *Particularis*, seu *Hæc* vel *Illa*: Habet autem quòd sit *Hæc* vel *Illa* à Termino seu *Effectu* suo à quo specificatur, imò individatur. Ergo, Motus ille *Occasionalis* non potest determinare Mentem ad operandum, nisi etiam determinet illam ad *hanc* Ideam, & *non aliam* eliciendam: ergo Motus ille dat Menti Notitiam *hujus* Ideæ & *non alterius*; Ergo magis Similis est *huic* Ideæ Demonstratio Prima.

quàm *alteri*; Quod Carteſiani vehementer negant, & aſſerunt Motum illum eſſe *nullo modo ſimilem* ulli cuicunque Ideæ.

Demonſtratio Secunda.

42. Demonſtratio 2. Spectat ad Sapientiam Divinam ita ſeriem Mundi diſponere ac provehere, ut Propriæ *Cauſæ* Proprios ſibi *Effectus* habeant; uti luculentur demonſtratur in *Methodo* meâ, Lib. 3. Lect. 4. & 5. ſpeciatim, Lect. 5. à §. 3. ad 9. Sed *Occaſio* illa juxta Carteſianos non eſt *Cauſa*, nedum Cauſa *Propria*. Ergo *Fictitia* eſt *Occaſio* illa, nec in ſerie Mundi ullum locum habet.

Demonſtratio Tertia.

43. Demonſtratio 3. Motus ille in Nervos quem *Occaſionem* eliciendi Ideas nominant, non eſt omninò (ut fatentur) *Similis* Ideis; ergo, non *magis* ſimilis eſt *huic* Ideæ quam *alteri*; ergo, non poteſt determinare Mentem ad *hanc* Ideam potiùs quàm *illam* eliciendam; imò (ut ad *hominem* arguam) non poteſt concurrere, nè quidem ut *Occaſio*, ad elicientiam *hujus* potiùs quàm *illius*, cùm nihil habeat in ſe quod *unam* magis quàm *aliam* referat, vel cur ſit *Occaſio* eliciendi *hanc* potius quam *illam*. At neque *Facultas* illa, ſeu *Potentia* Ideas formandi, quicquam habet in ſe quo *hanc* Ideam præ *aliis* eliciat; cùm *Potentia* ſeu *Facultas* ſit quantum ex ſe, perfectè Indifferens ad *omnes* ſui Actus, & conſequenter ad *omnes* ſuos *Effectus*. Quare, nulla potuit eſſe, juxta hanc Doctrinam, ſive *Cauſa*, ſive *Occaſio*, Naturalis, *hanc* potius quam *illam* producendi. Unde, cùm nulla Idea *in communi* elici poſſit, ſeu nulla quæ non ſit vel *Hæc* vel *Illa*; concluſum eſt, *nullam* prorſus Ideam unquam fuiſſe elicitam; ſed totam Hypotheſin Carteſianam *de Ratione Cognoſcendi*, utpote hoc Principio tanquam Baſi ſuâ nixam, corruere prorſus & in fruſta

fruſta malè ſibi hærentia diſſilire. Et, ſi nullæ dentur hujuſmodi Ideæ à Facultate Mentis *Elicitæ*, ſeu (ut catachreſticè appellantur) *Innatæ*; ſequitur, ulteriùs, omnes *Ideas*, ut, vocant, ſeu *Notiones* quas habemus, eſſe nobis a Rebus, quæ *extra* nos ſunt, Senſuum ope, inditas omninò & impreſſas; quod, ut jam oſtenſum eſt, optimè conſiſtit cum Ordine Cauſarum ac Effectuum: ac proinde ſolidiſſimo Fundamento *ſtabilitur* Doctrina de Ratione ſeu modo Cognoſcendi *noſtra*; eâdémque operâ, utpote Principiis deſtituta, & nullâ Cauſarum at Effectuum ſerie nexa, *evertitur* Carteſiana. Notandum autem quòd §. 31. dicit illam Facultatem [*Homini*] dari; cùm priùs dixerit [*Menti*;] quod omninò *aliud* eſt; nam *Mens*, juxta ipſum, non eſt niſi *Una Res*; cùm *Homo* (ſeu *Corpus* & *Anima*) juxta eandem, *duæ Res* ſit. Quid quòd omnia hîc meræ *Facultati* tribuit, tum quoad *Elicientiam*, tum quoad *Excitationem*; cùm anteà *Motui* illi *Occaſionali*, hunc poſteriorem effectum, ſcilicet *Excitationem*, tribuiſſet. Quæ quidem, uti malè ſibi cohærent; ita eſſe contra Evidentem Demonſtrationem ut mera *Facultas, abſque præſidio aliarum Idearum* ſeu Cogitationum, ſeſe *excitet* ac *determinet*, jam oſtenſum eſt.

Ineptè allegant Carteſiani Beneplacitum Divinum pro *Causâ*.

44. Verùm operæ pretium eſt expendere quodnam Effugium *Carteſiani*, ſic convicti, ſibi parant, atque ad Cauſam ſuam ſuſtentandum adferunt. *Aiunt* itaque §. 41. (nam non eſt ipſis in more poſitum quidquam ex ſolidis Principiis *probare*) Elicientiam hujus vel *illius* Ideæ, ex motu in Nervum, tanquam *Occaſione*, mentem excitante, in *Voluntatem* ac merum Dei *Beneplacitum*, veluti in ſui *Cauſam*, eſſe referendam; eodem modo quo *Voces ad placi-*

tum excitant Ideas Rerum in nobis quando tales Voces audimus vel legimus; adeò ut tales *Ideæ* talibus Motibus a *Beneplacito* Dei *Annexæ*, non *ex Naturâ Rei* cum iis *Connexæ* ponuntur. In quo ſubterfugio tot Errores, etiam Ineptiſſimi & ſani ſenſûs vacui, imò ſolidis Rationis Principiis repugnantes coacervantur, ut, dum Confutationem paro, vix ſciam unde incipiam.

Probatur primò, quia Ordinem Cauſarum Secundarum pervertit.

45. Primò itaque, aſſero, ſpectare ad Sapientiam Æternam quæ Creaturas condidit, naturas ſuas ſingulis dare, eaſdémque conſervare, ad *Propria* cuique munia obeunda; adeò ut nulla ſit Mundi Pars quin apta nata ſit habere aliquem *Effectum* ſibi *Proprium*: ut loco nuper citato abundè demonſtratur. Quare, eandem Sapientiam decet curare, ut, in *communi* atque *Ordinario* Mundi curſu, *Propriæ Cauſæ* ſuum *Proprium Effectum* habeant; quò tum rerum ſeries optimo, (utpote a Deo ſtabilito) modo regatur ac provehatur; tum etiam ut ex iſthoc *arctiſſimo* Rerum *nexu* nos Scientiam nanciſcamur per Demonſtrationes tum *à Priori*, tum *à Poſteriori*, à *Propria* ſcilicet *Causâ* vel à *Proprio Effectu*, deductas. Hâc inquam, Creaturas ſuas gubernandi Methodo, Sapientiſſima Dei Providentia, ut ait Sapiens, (Sap. 8. 1.) *attingit a fine ad finem fortiter & diſponit omnia ſuaviter*; vel, ut *Boetius*- *Perpetuâ Mundum ratione gubernat*. Hinc etiam *perfectum* undequâque exurgit Creationis opificium, & ſibi omni ex parte *cohærens*; abſque vel miniſmo Cauſalitatis *hiatu*, Connexionem Mundi diſtringente; quod Imperfectionem artificii arguit. Quare, non exiſtimandum eſt Deum ullam habere *Voluntatem* aut *Beneplacitum* (ſepoſito Miraculi caſu) ſapientiſſimum hunc *Rerum Ordinem* & Texturam *Effectuum*

cum

cum *Cauſis*, abrumpere & interturbare; idque ſingulis ferè paſſibus; hoc eſt, quoties ſingula Humani Generis Individua opus habent novâ Cognitione, ſeu novis Ideis; quibus formandis nullæ Cauſæ Naturales ordinantur. Unde Poſitio iſta nimis audacter inſinuat *Voluntatem* Dei, in Mundo adminiſtrando, non adæquatè a *Sapientiâ* ipſius dirigi, ſeu eidem *conſonam* eſſe; quod alîque temeritate inſigni dici non debet.

46. Secundò, Ordine Mundi & Cauſarum ſerie ſic conſtitutis, Veſtigia *Sapientiæ* ſuæ reliquit nobis Deus in Naturis rerum, earúmque, per Cauſalitatis Leges, compaginatione; quò eaſdem contemplando, & conſiderando, cognoſcamus quibus uſibus atque Effectibus producendis aptæ eſſent; unde (ut dictum eſt) Philoſophi *Scientiam* de rebus ipſis hauriunt: cùm tamen, ex alterâ parte, nihil de Voluntate Dei nobis cognoſcere datur (niſi per Revelationem) anteqnam Eventus poſitus fuerit. Quare, Seriem & Connexionem iſtam Rerum à Divinâ *Sapientiâ* fixam negligere, & ad *Beneplacitum Divinum*, de quâ nihil nobis conſtat, confugere, eſt indigniſſimum Philoſopho, & evidentiſſimum Ignorantiæ Indicium; licèt ſub Pietatis prætextu obveletur. Poetis quidem licet *Deum è Machinâ* in Scenam introducere, quando aliquid præſtandum eſt quod viis ordinariis peragi non potuit. At Philoſophis dedecoroſum planè eſt, ubicunque inter diſcurrendum *hæret aqua*, & conſecutio Effectûs à Propriâ Cauſâ non ſuppetit; ſtatim, perinde ac ſi Sapientia Divina *lacerum* ac *malè compactum* Cauſarum & Effectuum Ordinem reliquiſſet, Patrocinium Defectui Argumentorum, quo laborant, quærere

Probatur ſecundò, ex eo quòd omne *Scientiæ* Fundamentum tollat.

a *Di-*

a *Divinâ Voluntate*; perinde ac ſi eam ad nutum haberent, ita ut dextera ipſis adeſſe debeat quotieſcunque Ratione deſtituuntur; aut aliquid ipſis, ad incitas redactis, *dictu* eſt *neceſſarium* quod *probatu* erat *impoſſibile*.

Probatur Tertio, Quia effectum planè *ridiculum* Divinæ Voluntati tribuunt.

47. Tertiò, rem maximè omnium ridiculam Divinæ Voluntati tanquam Cauſæ Immediatæ adſcribunt: Nam, cùm Idea Determinata quæ elicienda eſt non magis ſimilis ſit juxta ipſos Motui illi *Occaſionali* quam *Vox ad Placitum* ſit ſimilis Rei quam ſignificat; hoc eſt, *non omninò*; ponunt Deum annectere Ideam particularem cuivis Motui, quantumvis ei *diſſimillimo*; ut ex §. 41. & 45. affatim colligitur: Quare, perinde eſt *quis* aut *qualis* Motus ad hanc vel illam Ideam eliciendam, Mentem excitet. Idem quoque inde patere videtur ex eo quod aſſerant Motum illum non eſſe *Cauſam* cur Mens hanc vel illam Ideam eliciat, (nè fortè ſit aliquatenùs ſaltem *ſimilis* ei,) ſed *Occaſionem* tantummodò quæ Mentem excitat; quæ cùm ſit ad *placitum*, poteſt eſſe Naturæ *prorſus diverſæ*, imò *Contrariæ*. Quare, juxta hunc Diſcurſum, cùm nulla ſit omninò Connexio vel Affinitas inter Naturam *Motûs* & *Ideam* Elicitam, forſan ex *balatu ovis*, *ſtridore oſtii*, vel *bombilo apis*, excitatur Mens ad Ideam *Inferni*, vel *Solis*, vel *Trianguli*, vel etiam ipſius *Dei* eliciendam; Cùm tantundem ad unam harum atque aliam *referatur*, vel ei *Similis* ſit *Motus* ille. Non mirum itaque hos Philoſophos *duro neceſſitatis telo* compulſos, tum hic, tum ſæpiùs alibi, ad *ſolam Voluntatem* ac *Beneplacitum* Dei confugere; à *Sapientiâ* autem ejuſdem, quâ Mundum condidit regítque, nullum auxilium expectare; quia ſcilicet nihil *Inſipientius* vel fingi poteſt quàm ſint Theſes iſtæ *Voluntariæ*,

&

& *gratis* dictæ atque effictæ; ad quas ſe conferunt, quando *Ratione* aliqua *Scientificâ*, quæ vel a *Causâ* vel *Effectu* deſumi oportebat, deſtituuntur. Nihil enim *Inſipientius* eſſe poteſt quam illud *allegare* ac pro *Ratione* (hoc eſt *Causâ*) obtendere, quod Cauſalitatis Seriem, Rerum Ordinem, influxúmque omnem Peculiarem ac Proprium unius Cauſæ Secundæ in aliam, penitùs tollit ac pervertit.

48. Patet itaque quòd modus iſte ratiocinandi Carteſianus, ſit *Vetulâ* potius quàm *Philoſopho* dignus: nam cuivis *Aniculæ*, ſi de Cauſâ omnium Effectuum in Natura interrogetur, facillimum eſt reſpondere, idque verè, hos omnes effectus ideò eſſe productos *quia Deus id voluit*, & ex *Beneplacito Divino* proceſſiſſe quod evenerint. In hoc tamen ſtupidiores & minùs Philoſophi ſunt Carteſiani iſti quàm quævis è fæce vulgi *Muliercula*; quòd, ſi quis allegârit quòd Deus *voluerit* hoc vel illud peragi per Cauſarum Secundarum operationem, non abnuet muliercula illa; utpote edocta à bonitate Naturæ, vel à Chriſtianis Principiis, non dedecere Deum Creaturarum ſuarum Miniſterio, in *Ordinario* Naturæ Curſu provehendo, uti. At Carteſiani nè id quidem hâc in re *conceſſuri* ſunt; ſed vehementer *reclamabunt*, dicéntque Rationem cur ex tali Motu in Nervum Mens talem determinatam Ideam eliciat, in *nullam* Cauſam Secundam, ſed ſolùm in merum *Beneplacitum* & *Voluntatem Dei*, referendam eſſe. Imò, quod longè adhuc ſtolidius eſt, exiſtimant ſe, dum ridiculè iſtud pro Ratione allegant, *omne* Philoſophorum *punctum tuliſſe*; &, ſi quis ipſis talia delirantibus refragetur, *amentium* more *ferociunt*, & in *Convitia* prorumpunt. Saltem, bonâ cum veniâ Scholæ

Quare, ſic ſentientes, eò quòd Ordinem Cauſarum tollant, non poſſunt *Philoſophorum* more ratiocinari aut *argumentari*.

læ Carteſianæ, interrogare velim, quâ Logicâ freti *Beneplacitum Divinum* pro ratione aſſerunt? Scitum erat, & à nemine, ante Carteſii tempora, negatum, oportere ut Philoſophi *ad minùs nota* probanda, *magis* nota adducerent, & non *Ignotiſſima* atque *Obſcuriſſima*; qualis eſt *Voluntas Dei*; de quâ (ut dictum eſt) nihil abſque *Revelatione Divinâ*, nobis in anteceſſum innoteſcere poteſt. Forſan allegabit *Malbranchius*, (qui aſſeruit in Præfatione ad Librum Primum de *Inveſtigatione Veritatis*, *Scientiam non alio modo quàm per Divinam Revelationem haberi poſſe*,) hujuſmodi etiam Revelationem, ex *Converſione Mentis* ſuæ *in Deum*, de facto habere Carteſianos, ſaltem *ſeipſum*. At, unde mihi fidem faciet ſe talem Revelationem *habuiſſe*? Vel, ſi exiſtimet hoc ſibi Revelatum, unde probabit Revelationem illam, quam imaginatus eſt ſe habere, *Genuinam* ac *Veram* eſſe, & non *Adulterinam* & *Phantaſiæ* ſobolem; qualem in Phreneticis & Tremulis noſtratibus experimur? Diſcupio ſanè cum Carteſianis Concordiam inire, modò abſque Rationis meæ diſpendio & abdicato Veritatis Patrocinio, id conſequi poſſem. Optionem itaque liberè atque ingenuè ipſis concedo, ut unum horum ſibi eligant. Vel oſtendant ſe habere *Revelationem* Deum hoc *velle*; & libentiſſimè iis aſtipulabor, etiamſi *nullam* pro hac *re Rationem* attulerint. Vel proferant *Rationem* aliquam quæ concludit Theſin ſuam *Veram* eſſe, & libenter aſſentiar hoc Sapientiæ Divinæ congruere, ac proinde Deum hoc *velle*, licèt nullam *Revelationem* obtendant. Non Avarus ſum; *utrumlibet* horum præſtent, & ſatisfactum mihi fatebor. At ſi *neutrum* horum in cauſæ ſuæ patrocinium adducere valeant, ignoſcant

noſcant mihi, obſecro, quòd cùm Deus Creaturam *Rationalem* me condiderit, *Naturam* quam Bonitas Divina mihi largitus eſt *exuere*, & *Eſſentiam* meam, quò ipſis gratificet, abdicare noluerim.

49. Reſtat adhuc (ut alias taceam) Objectio graviſſima, & quæ turpiſſimam Doctrinæ, (hac ex parte,) Carteſianæ notam inurit; Nempe Theſin hanc, cujus Probationem in meram *Divsnam Voluntatem* rejiciunt, eſſe reverâ unum ex *Principiis* illis quæ ad *Rationem Cognoſcendi* Carteſianam, ac ſpeciatim *Grandianam*, ſtabiliendam, neceſſarium eſt. Quod ex ipſis verbis D. *Le Grand*, §. 41. facilè conſtabit. [*Motus*, inquit, *qui ſic in cerebro à Nervis excitantur, Animam, ſive Mentem diverſimodè afficiunt prout ipſi ſunt diverſi, ex ſolo ſcilicet Dei Beneplacito; quemadmodum ex Beneplacito Humano fit quòd Voces Hæ* vel *Illæ Hoc vel Illud ſignificant.*] Jam, cùm ponant Carteſiani Motus iſtos *omninò* eſſe *Diſſimiles* Affectioni illi quæ gignitur in *Mente*; ac, proinde non *Cauſas* ejus, ſed *Occaſiones* tantùm eſſe; fit, ut nihil *determinatè*, ſeu ut ab alio *Diverſum*, percipere aut Cognoſcere valeamus, aut *Diverſam* Animæ *Affectionem* vel Ideam *elicere* aut *habere*; niſi Beneplacitum Divinum, interruptum hunc Cauſarum Naturalium Curſum ſuppleat & reſarciat, ac *hiatum* illum *Cauſalitatis* Naturalis impleat; idque toties quoties Cognitione aliquâ opus habemus. Quare, cùm manifeſtum ſit quòd *Veritas* Theſis iſtius, ſcilicet, [*Beneplacitum Divinum* de facto ac reverâ immediatè ſe immiſcet ad *Inconnexionem* illam ſeu *Hiatum* in Cauſarum Naturalium operatione implendum,] adeò *præcognitu* Neceſſaria ſit ad omnem Cognitionis noſtræ vel Poſſibilitatem; oportebat certè

Quare, cùm ſententia iſta ſit Carteſianis *Fundamentalis*, ingens Dedecus eſt, eam *ſupponere*, & non evidenter *Demonſtrare*.

certè eam Firmissimis ac Solidissimis Argumentis *Demonstrare* ac Stabilem reddere. A quo tamen tam longè abest D. *Le Grand*, ut eam solummodò *aiat*, gratis *dicat* ac *supponat*, & (pro more) levi aliquâ Explicatiunculâ illam dignetur. Quod omni ex parte adeò probrosum ac stolidissimum est, ut demirer quempiam, hujusmodi Defectuum (idque *sæpissimè*, vel potiùs *ubique*) convictum, ac sibi conscium, inter Viros Sanæ Philosophiæ studiosos comparere, vel Doctorum Cœtibus se adjungere ausum.

Objectioni Cartesianorum validissimæ occurritur.

50. Permagni autem interesse video ut hanc occasionem *arripiam*, (nam à D. *Le Grand* vix *datur*,) solvendi Objectionem nonnullorum ex doctioribus Cartesianis, quæ omnium argutissima videtur, vel potiùs aliorum quorumcunque instar habet; ad probandum quòd ab Ideis à Mente Elicitis, & non ab Impressionibus in Animam ope Sensuum factis, Cognitio nostra de Naturis Rerum originem habeat. Sic itaque discurrunt. Quando manus mea propiùs Igni quàm par est, admovetur, sentio equidem Dolorem; attamen *Naturam* Ignis nihilo magis exinde cognosco, sed solummodò quatenus est *Læsiva* Corporis; Ergo nihil conferunt ad *Speculativam* seu *Scientificam* Cognitionem de Naturis Rerum Impressiones illæ quas *sentio*; sed solummodò ut sciam quid, utpote mihi gratum atque amicum, prosequendum, quid tanquam Noxium fugiendum sit. Hæc, inquam est unica illa Objectio, quæ cum aliquâ Verisimilitudine Doctrinam meam, hâc ex parte, percellere videtur; unde miror cur à D. *Le Grand* (quantum observavi) prætermissa, vel saltem leviter tacta fuerit. Quare, ut Cartesianis iis qui acrioris ingenii sunt,

ſunt, præ quibus in inferiori Scholæ illius ſubſellio collocandus eſt D. *Le Grand*, hâc in re ſatisfaciam, ſpecialem de quæſtione iſtâ Diſſertatiunculam inſtituam. Prænotandum autem, quòd cùm Objectio iſta vim habere videatur ex eo quòd Doctrina mea ipſis haud ſatis perſpecta ſit, ejus proinde Solutio à conſideratione Operationum mentis noſtræ atque ab Ordine quo, juxta nos, ſibi invicem ſuccedunt, petenda eſt. Unde Propoſitiones nonnullæ, genuinum ſententiæ noſtræ ſenſum exhibentes, mihi præmittendæ ſunt. Dico itaque, 1. Notionem illam Ignis, menti *primò* & *directè* impreſſam, rudem adhuc admodùm & impolitam eſſe, eò quòd ab Objecto Materiali procedat; cujus Operationes cum ſint Quantitativæ, ac *infinitè* pænè Diviſibiles, neceſſe habent ut ſint *multiformes* & vix unquam *Exactæ*; unde Indeterminatæ ac Confuſæ ſunt præ quod à Mente (quæ Naturâ ſuâ *Indiviſibilis* eſt) poſtmodùm accipiunt, v. g. Forſan, in totâ Rerum Univerſitate, præ perpetuo minimorum corpuſculorum tumultu, nihil invenitur quod ſit Mathematicè Rotundum aut Quadratum: Cùm tamen in Mente, (quæ cunctas Notiones ſuas ad *Indiviſibilitatem* reducit) Figuras, uſque ad *Indiviſibile*, tales reperiri pænè experiamur. 2. Licèt Notiones iſtæ primò inditæ, pro Inadæquato illo gradu quo à nobis concipiuntur, naturam Rei *aliquatenùs* in Mentem ingerant; non tamen *Operationem* illam *Primam*, neque Objectum ut in Animâ, per *eundem ipſum* Mentis Actum cognoſci; uti hîc in Indicatione 2. §. 22. & in locis ibi citatis, abundè oſtenſum eſt. Quod etiam ex eo patet, quòd Anima, dum *ſimpliciter apprehendit*, merè *Paſſiva* ſit; uti etiam Eximius D. *Lockius*

kius mecum sentit; &, Notiones illæ *Simplices* non tam sint *Cognitiones* propriè dictæ, quàm Cognitionum & Discursuum nostrorum *Materia*, seu *Elementa*. Unde opus est ut per Operationem aliam huic succedaneam, quam *Actum Reflexum* nominamus, *prior* illa Operatio, seu *Notio* (ac proinde *Objectum* etiam in illâ) cognoscatur. 3. Quando aliquid afficit Mentem, seu Hominem, quod aliquo gradu insigni, *Gratum* vel *Ingratum*, Delectabile aut Noxium est Constitutioni Compositi, *Passio* aliqua excitatur vel *Doloris*, vel *Voluptatis*; quæ Reflexionem Mentis *Speculativam* super Objectum, seu Naturam Rei simpliciter Apprehensam, si non omnino præpedit, saltem interturbat; & ad id quod propiùs Hominem tangit, nempe *Conservationem sui*, Attentionem Mentis avocat: quò fit ut ad cogitata *priora* non affigamur, sed a consideratione eorum prorsus divertamur. Unde evenit ut ad studia Speculativa, dum ea quæ valdè nobis *placent displicentve* nobis objiciuntur, animum adjicere ac sedulò applicare non valeamus; sed ab iis quæ valdè Congrua aut Incongrua sunt, ex instinctu quasi Naturæ, ad cogitandum de iis solis, ut talibus, abducamur. 4. Nullum proinde argumentum duci potest, quòd in aliis circumstantiis, ubi *sedatè* ac quietè reflectimus super Notiones nostras Simplices, non valeamus ad cognitionem Rerum Speculativam pervenire; eò quòd, cum Impressiones nobis valdè obsunt aut prosunt, tumultuario ac subitaneo Passionis Motu præoccupati, super eas non Reflectamus, nec proinde Naturas Rerum inde cognoscamus. 5. Nostra quoque sententia est quòd etiam cum *placidè* ac *quietè* Simplices illæ Notiones

menti noſtræ inſinuantur, non *ſtatim* Claram & Diſtinctam earum Cognitionem Speculativam inde haurire poſſimus. Multâ ad hoc Mentis Reflexione opus eſt: Oportet ut conſideremus eas ut *Diſtinctas ab aliis*; ſub quo Notionum *Genere* collocandæ ſint; qualiter *Definiendæ*, &c. Aliter ſiquidem habent inſtar catulorum urſi informium, niſi à plurimâ mentis Reflexione lambantur/& ad debitam ſibi formam, Artis ope componantur. Quod Exercitii genus in Viris Speculationi addictis, nominari ſolet [*ſtudiis incumbere*:] Denique non uno eodémque gradu, Naturæ Rerum, quæ tanquam Mentis Objecta Notionibus inſunt, Cognitionem earum penetrativam in nobis gignunt, v. g. Alius obſervat ignem humorem è Corporibus, quibus intimè applicatur, exhalare atque extrahere; & *talem* Notionem de Igne habet; cognoſcítque ac colligit exinde eundem Effectum in Corpore etiam ſuo, niſi ſubmoveatur, effecturum Ignem. Alius, quòd corruget partes rei jam exiccatæ in quam agit; quòd celeriter moveatur; quod luceat; & hujuſmodi; & conformes Qualitates, tanquam horum effectuum Cauſas, priori notioni Ignis appingit. Alius, qui Chymicis obſervationibus aſſidet, percipit Ignem incredibili partium ſubtilitate præditum indeq; colligit quòd ſit Agillimæ & Tenuiſſimæ Naturæ, adeò ut vel minimas Mixti partes innumeris telis confodiat ad perforet, eáſque diſtringat ac diſſipet; unde fit ut ſingulæ, ex Naturæ curſu, ſuis Motibus, ad loca ſibi deſtinata, diſtribuantur: Unde Ariſtoteles ab effectu iſto Ignis viſibili, Calorem definivit, eſſe *id quod congregat Homogenea, & diſgregat Heterogenea.* Denique, alius qui Altiſſimas rei cujuſ-

vis Cauſas perſcrutatur, & ad veram Logices attendit Regulas, habet iſtam Ignis Notionem, quòd ſit *Corpus Simplex Rariſſimum*; quæ reliquas omnes Notiones dictas ambitu ſuo comprehendit; imò omnes etiam ejus Effectus; ineluſis Naturæ circumſtantiis in quibus operationes ejuſdem peragi ſolent.

His ita expoſitis, evidens eſt Objectionem iſtam, nullam contra doctrinam noſtram habere vim; cùm neque cognoſcamus *Notionem* aliquam, neque Objectum quod ei ineſt, per ipſam *Primam* Mentis Operationem, ſed per *Reflexum* mentis Actum; & Reflexio illa præpediatur ubi, ab Impreſſione illâ, *Paſſio* aliqua excitatur. Neque ex *ſolâ* Apprehenſione Simplice nos *clarè* quidquam cognoſcere a nobis aſſertum ſit; ſed ex *multiplici* intellectûs *Reflexione*, ac *Rationis operâ*. Unde conſequitur, ſi modo hîc expoſito de rerum naturis Cognitionem aſſequi valeamus, Idearum Elicientiâ opus non eſſe; ſed Doctrinam illam eſſe omninò gratuitè dictam, nec neceſſariam, ſed prorſus imaginariam. Quare, incumbit Carteſianis, modò ſolidè objicere velint, Cognitionem ſeu Operationem aliquam Mentis noſtræ allegare, quam in ſe ſuſcipiant oſtendere Menti noſtræ non poſſe ineſſe, juxta Principia *de Ratione Cognoſcendi*, hîc & in Præliminario meo quarto expoſita; aut non aliter quàm per Ideas Elicitas haberi poſſe.

Summa Geſtorum D. *le Grand* hucuſque.

51. Eſt itaque Doctrina iſta Carteſiana de *Elicientiâ Idearum* undequaque Principiis deſtituta, imò Primis Principiis reverâ *Contraria*: ac proinde Communis Sensûs expers; denique *Gratuitis* Falſiſſimiſque Suppoſitionibus fundata. Nec quicquam hucuſque attulit D. *Le Grand* quod Connexione Terminorum ſtabilitur;

ſtabilitur; aut quod Rationi etiam Evidentiſſimæ non *Oppoſitum*, imò planè *Contradictorium* ſit.

Fundamenta Diſcurſuum D. *Le Grand*, ex Indicatione Tertiâ collecta, atque in Propoſitiones Categoricas redacta.

Confutanda eſt Theſis Adverſarii antequam Propoſita *aut* Cognita *ſit.* §. 25.

Doctrina, quæ juxta illius Authorem, Chimærica *eſt, ſuſtentanda eſt, & loco* Principii *ponenda.* §. 26.

Qui utramque Contradictionis partem ponit, ab Oppoſitione ſecurus eſt. Ibid.

Actus *Intellectûs eſt* Res ipſa intellecta. *Vel* Actus *eſt ſui ipſius* Objectum. §. 28.

In Definitionibus, & Explicationibus, Contradictoria, *quæ* Obſcurum *& non-intelligibilem reddunt Rei Definitæ naturam, adhibenda ſunt.* §§. 26. & 28.

Quæ Præſentia *ſunt alicui poſſunt* magis & minùs propè *eſſe eidem.* §. 29.

Poteſt aliquid eſſe Præſens *alteri, licèt non niſi* Abſens *ſit.* Ibid.

Dividendum eſt Genus, *licèt non fuerit ſatis* Notum. §. 30.

Plus & minus *de Generica Notione* non ſatis Notâ, *facit illam* magis Nôtam *quàm potuit ejus* Definitio. Ibid.

Principia Prima *Cognoſcendi poſſunt eſſe* Obſcura, *imò Primis Intellectûs Principiis* Contradictoria; &, *multis forſan Demonſtrationibus Falſitatis Convicta.* §. 31.

Optimi Philosophi *sunt, qui* nulla *omninò habent* Cognoscendi Principia. §. 32.

Mera Potentia *potest* Actum *suum ex sese efformare.* §. 34.

Causa potest agere contradictoriè *ad Naturam suam.* §. 35.

Res potest agere, licèt nulla Ratio sit cur agat. §. 36.

Indivisibile potest agere in semetipsum: Vel, Potest simul *esse, secundum se Totum,* Agens & Patiens *respectu* ejusdem. §. 37.

Anima habet Potentiam Passivam *(seu Materiam quandam) è quâ* educuntur *Ideæ.* §. 38.

Occasio, *quæ non est* Causa, *habet* Effectum. §. 39.

Per Causas Proprias & Effectus *non administratur Mundus.* §. 42.

Perpetui Causalitatis Hiatus, *seu* Inconnexiones, *in Naturâ ponendi sunt.* §. 44.

Sufficit ut quis Philosophus *habendus sit, modò, loco assignandi quænam sit* Causa *talis* Effectûs, *obtendere possit,* Deum id Velle. §. 48.

Principia de Ratione Cognoscendi non debent esse ex-se-Evidentia, *at nec* Demonstrata; *sed gratis* supponenda *sunt.* §. 49.

INDI-

INDICATIO Quarta:

OSTENDENS

Senſus nunquam fallere, at nec fallere poſſe.

Eos qui id aſſerunt Primis Principiis contradicere. Unde Erroris Origo. Opiniones inſaniſſimas Ariſtotelæis ab D. Le Grand *falsò imponi. Nos non ſcire utrum Somniemus an Vigilemus, eſſe merum Delirium. Impium eſſe in Deum, vel Fictionis aut Diſcurſûs causâ videri ſupponere, aut ſuſpicionem Dubii injicere, non æquè Notum eſſe quòd Deus ſit* Bonus & Verax, *ac quòd ſit Potens; vel quòd poſſit homines ad Falſum amplectendum perpellere. Quo modo gradatim ad Cognitionem provehimur. Errores Fundamentales quibus diſſertator Devius agitur.*

52. IN §. 40. D. *Le Grand* ſuo modo viam parat ad oſtendendum *ſenſus* omnes eſſe *Fallaces* in ordine ad *Contemplationem Veri*, ſeu *Speculationem*. Ad quam Quæſtionem ventilandam antequam veniamus, nonnulla quæ obiter occurrunt notanda ſunt, Incipit ab *ordine Dicendoram*. Ubi vox illa [*Dicendoram*] Emphatica eſt; nam multa [*dicit*] quæ excerpſit

Quibus Erroribus, & à Quæſtionis ſtatu prævaricationibus, D. *Le Grand* ſter-

nit viam ad oſtendendum quòd omnes Senſus ſint *Fallaces.*

cerpſit ex *Malbranchio*; qui etiam *dicit* ea, at neuter eorum quicquam *probat*; &, niſi id apertè & liquidò *demonſtravero*, non dico cauſam quin ſequioris apud Lectores meos opinionis pœnas luam. *Proponit* & *explicat*, more ſuo, quid exiſtimet de Senſibus, eorúmque Gradibus ac Diſtinctione, & multa interſerit, diſcurſûs gratiâ, nam ad quem finem collimet nondum liquet: Quæ nihil ad me ſpectant; niſi priùs demonſtret quodcunque is *proponit* eſſe idcircò protinùs Verum. Ait §. 43. *Carteſium prolixè explicuiſſe non ſpecies intentionales, ſed tantùm Luminis radios, quoſdam motus in Nervo Optico, & illo mediante in cerebro excitare.* Etiam voces illæ [*prolixè explicuit*.] Emphaticæ ſunt; nam Carteſium ſuóſque eſſe *Explicatores* ſatis *prolixos*, imò ut plurimùm etiam ingenioſos, facilè concedo; eſſe autem eos *Probatores* aut *Demonſtratores*, niſi forſan ex Principiis gratis ſuppoſitis, omninò pernego. Tota ferè Diſſertatio iſta ex *Explicationibus* conſiſtit; at vel unicum ibi Argumentum reperiri quod cujúſvis viri Docti ac Ingenui Intellectum Evidentiâ ſuâ ad Verum videndum adigat, prorſus inficias eo. Jam optimè novit quòd ipſe *Speciebus Intentionalibus* non me miſceam, imò quòd eas negem: Quod ipſe aſſero eſt, *Effluvia* ſeu *Corpuſcula* quædam ſubtiliſſima, & non tantummodò *Motum*, per Senſus in Cerebrum deferri. De his ſolùm, & non de Speciebus Intentionalibus, eſt noſtra Quæſtio; unde quandò ipſe *de cepis* locutus ſum, is *de allijs* mentionem ingerit: Verùm de Corpuſculis illis ad Sedem Cognitionis invectis, ſimúlque Naturam rei unà ſecum illuc vehentibus, quod unum ad rem erat, D. *Le Grand* nihil vel *dixit*; multò minus ſententiam illam

illam *confutavit*; imò neque Carteſius ipſe (quantum hîc conſtat) de hâc quæſtione aut *prolixè*, aut *non-prolixè* ſe unquam vel *explicuit*; nedum ſententiam iſtam eſſe Falſum *demonſtravit*; licèt nihil ad doctrinam ſuam, hâc ex parte ſtabiliendam magis conducere potuit. Concedo etiam Mentem in potentiali ſtatu obdormiſcentem, ſicut ſomno ſopitis accidere ſolet, poſſe (ut §. 45. aſſerit) *ſolo motu excitari*; ſed quòd ſolus Motus, Notioni alicui ſeu Ideæ *omninò diſſimili*, poſſit *determinare* Mentem ad *hanc* vel *illam* Ideam eliendam, vel Notionem adeò diſtinctam ac particularem *de Re ipsâ* præbere, qualem poſſunt particulæ illæ quæ *ejuſdem Naturæ* ſunt cum Corpore è quo emanârunt, neutiquam concedo; imò ſenſui communi contrarium id eſſe judico. Nonnulla ad animos curioſorum paſcendos præmittit de *Tactu*, & reliquis Senſibus; quæ à difficultate, de quâ tota Quæſtio procedit, mentes eorum divertit atque avocat; at nihil affert, quod Rationem ſapit, è quo (ut prætendit §. 53.) concludere poſſit *Effluvia è corporibus promanantia* ſolummodò *Movere Nervos*, & non ad Cerebrum ope Senſuum deferri, ibique impreſſionem in Sedem Cognitionis, ac proinde in ipſam Animam, *ejuſdem*, ex parte aliquâ, *naturæ* cum *Re ipsâ*, efficere, pernego; & miror D. *Le Grand.* qui probè novit, hoc eſſe unicum illud de quo Quæſtio movetur, iſtud tam leviter præterire ut vix digitulo tangat; multò minùs rationes *premat*, aut *nonnet* quidem; cùm tamen eas candidè *proponere*, & ad eas confutandas totis viribus incumbere, ad ipſum ſpectaret. Nullos in Senſu agnoſco *Gradus* (ut vocat;) Nam, cùm nihil cognoſci poſſit niſi cùm ad Animæ Sedem

dem pervenerit, ad nihil aliud requiritur *Senſus*, vel etiam *Senſorium*, niſi ut Effluvia illuc tranſuehat, atque eorum iter ſic dirigat ut rectâ illuc perveniant. Quod quidem ut ſine Motu id perfici poſſe non negem, ita nihil illàc *præter ſolum motum* deferri, ſed Effluvia illa *ſiſtere motum* ſuum ad fores Senſorii, neque ulteriùs provehi, tum *gratis dictum* eſt, neque unquam *probabitur*, imò naturis rerum (ſcilicet *Exiguitati* incredibili molecularum illarum, & *Poroſitati* Senſoriorum) omninò contrarium eſt. Et, quàm frigidæ ſunt rationes illæ quas hîc adducit, ad oſtendendum quod nihil niſi Motus ſolùs ad cerebrum devehatur, vel Lectores imperitiſſimi, modò nôrunt quid ad Concludendum requiratur, nemine docente, pervidebunt. Porrò, neque ullum *Senſum Internum* agnoſco præter ipſam Cognitionis ſedem; quatenus Effluviorum ſeu Phantaſmatum Corporeorum, ibi quaſi colludentium & identidem recurrentium, vario motui recipiendo apta eſt. Modò feratur *res ipſa*, licèt in mole imperceptibili, ad Cognitionis Sedem, Mens ex appulſu ipſius, *ſuo modo*, hoc eſt, *Cognoſcitivè* afficietur; & *Notiones Naturales* ſeu Communes, omnium Cognitionum ſuccedentium Elementa, in ea gignentur.

Quomodò Natura *ut in re*, eſt *Cauſa* ſui ipſius *ut in intellectu.*

53. Pergit, & aliquantò propiùs accedit ad *Senſuum Fallaciam* oſtendendum. Et §. 60. inquirit ad quem uſum Senſus inſerviunt; & cum *Malbranchio* (è quo magnam Diſſertationis iſtius partem tranſcripſit) ſtatuit §. 62. eos ad hunc finem nobis datos, non *ut nos inſtruant quid revera ſit in rebus, ſed quid Humano Compoſito proſit vel obſit.* Hic autem advertendus eſt Error inſignis non ſolùm Carteſianorum,

rum, ſed aliorum quoque Authorum, interque illos *Malmesburienſis* noſtratis, qui exiſtimant ſententiam noſtram eſſe quod idem Impreſſionis Genus quod in Mente noſtrâ *percipimus*, ſeu eadem Qualitas, in re etiam ipsâ reperiatur, imò, ut etiam eundem *modum* percipiendi ſapiat; cùm tamen non niſi Impreſſionis illius *Cauſa* inveniatur in Re prout *extra* mentem poſita eſt. In quem Errorem incidere proclives ſunt eò quòd Qualitatem *in* Mente atque *extra* mentem eodem nomine appellare ſolemus. Altiùs autem videtur petendam eſſe hujus Erroris Originem; nempe, ex eo quòd non ſatis diſtinguant *modum* exiſtendi, *in re*, & *in intellectu*: Nam, cùm Rem in Intellectu alio prorſus *modo exiſtendi* veſtitam ac indutam cernant quam in Re habet, non valent cognoſcere Rem ſub *alieno* (ſcilicet Spirituali ſeu Cognoſcitivo) ſchemate latentem eóque obvolutam, eſſe Eandem Rem *utrobique*; ſed exiſtimant eam *diverſam* habere *Eſſentiam*, ſeu eſſe *Rem* prorſus *Diverſam*, eo quod *Modus exiſtendi* (qui Notioni *Eſſentiæ* Extraneus eſt) non ſit *idem* ſed toto Genere *Diverſus*; cùm tamen *Definitio* Rei quod dicit *Eſſentiam* ejus, *utrobique* reperiatur. Exemplo res clarior erit. Dicunt *Carteſiani* quòd [*Durum eſt quod Tactui noſtro reſiſtit*: Jam Notio mea de *Duritie*, quatenus in mente noſtrâ invenitur, non *actu* reſiſtit Tactui; quia *Spiritualis* Naturæ non eſt vel *Tangere* vel *Tangi*; &, tamen, evidens eſt quòd *Natura* ſeu *Eſſentia* Duritiei ſit, ut *poſſit reſiſtere Tactui*. Quare *Definitio* ſeu *Eſſentia* Duritiei, tum in *Mente* tum *extra eam* invenitur; habeo etenim in Mente meâ quod ſignificatur vocibus iſtis [*Quod eſt Aptum reſiſtere Tactui*] & æque eſt *in Mente* quod his vocibus

exprimitur

exprimitur atque eſt *in re*; licèt non *exercens actu* Aptitudinem illam ſeu Potentiam *quatenus* eſt in intellectu, ſeu prout habet ibi *ſpiritualem* modum exiſtendi; ſed prout exiſtendi modum *Corporeum* habet. Sed hoc non officit *Identitati Rei* ſeu *Modi* illius: Nam etiam Duities prout exiſtit in Intellectu *Divino*, non poteſt, *ut* eſt *ibi*, Aptitudinem illam *actu exercere*; & tamen nemo negabit *Eandem* reverâ *Eſſentiam* habere *Duitiem* ſeu *Rem Duam*, in Mente Divinâ, atque habuit poſtquam creata erat, & jam exiſtit modo *Corporeo*. His præmiſſis, aſſerimus *Duitiem* Lapidis, *in re* exiſtentem, fuiſſe quatenus *ibi*, *Cauſam* Conceptionis ſeu Notionis, hoc eſt *Naturæ* Duitiei *quatenus in Mente* exiſtentis; neque aliter reperiri *in re* niſi ut in *Causâ* ipſius, licèt Effectum *eundem ſibi*, quoad *rem ipſam*, generet in Mente; eò quòd particulæ in Sedem Cognitionis immiſſæ, *ejuſdem*, hoc eſt, *Lapideæ naturæ* erant. Et, quòd aliter viſum fuerit Authoribus illis, exinde proceſſit quòd *Eſſentiam*, ſeu *Naturam rei*, à *modò Exiſtendi* quem ſub uno atque altero ſtatu habet, non ſatis diſtinxerint. Verbo, Natura Rei, *quatenus* eſt *in re* ſeu *extra* mentem, eſt *Cauſa* Notionis ſeu Naturæ *quatenus* eſt *in intellectu*; quia corpuſcula quæ illam imprimunt *ejuſdem Naturæ* ſunt, & Mens ea recipit *qualia ſunt & imprimuntur*. Et, tamen, abſtrahendo ab illo [*Quatenus*,] ſeu a diverſo exiſtendi *modo*, Eadem eſt illius ſub utroque ſtatu *Natura* ſeu *Eſſentia*; cùm eadem ipſi Definitio utrobique, ſeu in utroque ſtatu, competat.

Sufficit ad Notiones de Rebus acquirendas.

54. Sed revertendum ad D. *Le Grand*, ac Carteſianos & videndum quid nobis ſuâpte ſponte offerant. Licèt negant *Senſus nos inſtruere*

ſtruere quid revera ſit in rebus, concedunt tamen quòd inſtruant quid *Compoſito Humano* pro*ſit* vel *obſit*. Nimis profectò Liberales ſunt; & quàm maximas hoc nomine gratias egiſſem, niſi quòd iſtud non ex benevolentiâ, ſed ex merâ Inadvertentiâ, Ariſtotelæis conceſſerint. Nam, ſi rectè inſtruant Mentem de Rebus Externis omnibus quatenùs Homini obſunt vel proſunt; & omnia Corpora, quibuſcum verſamur, aliquo modo *obſunt* vel *proſunt* Homini, quatenus ſunt Rara aut Denſa, Dura aut Mollia, Acuta aut Obtuſa, Lævia aut Aſpera, Calida aut Frigida, Sicca aut Humida; & idem dicendum de Secundis Qualitatibus quibuſcunque; tunc Senſus nos inſtruunt de *Qualitatibus* omnibus in Naturâ repertis; & cùm eos tantundem facere de *Quantitate* à fortiori concedendum ſit, inſtruent nos profectò etiam de *Complexione Accidentium*, quam *Formam Subſtantialem* nominamus, ſeu de *Naturis* vel *Eſſentiis* rerum; ac proinde, ſuppeditabunt nobis *Materiam*, accedente Induſtriâ, de omnibus rebus, Mentis ope, Diſcurrendi ac Judicandi, v. g. Ambulo libere & abſque periculo, quando Aer, vel etiam Zephyrus vultui meo objectus eſt; & a facie meâ ſudorem linteamine molli abſtergo; at, ſi eodem celeri paſſu adverſus Parietem pergam, vel ſi ſilice faciem meam à ſordibus mundare velim, magno certè nocumento afficiendus ſum. Idem de Magnitudine, Situ, Colore, Sapore, &c. aliquo ſaltem gradu dicendum eſt: Nec quiſquam eſt qui non, ex iſtis & hujuſmodi, nonnihil Commodi vel Incommodi percipiat. Cuſpis Acûs & acies Cultelli quantum nobis *nocent!* Ergo de Figuris iſtis *rectas* Impreſſiones ac Notiones habemus; idque, ut ex hâc Conceſſione

das, cognoſcere quòd nobis *obſint* vel *proſint*,

ceſſione videtur, a *Rebus ipſis, abſque Elicentiâ Idearum.* Neque adeò hebes aut ſtupida eſt Mens Humana, quin *reflectendo* ſuper iſtas Notiones, eas Comparandi, Diſtinguendi, Definiendi & Diſcurrendi, & *Scientiam* inde nanciſcendi, Facultatem habeat. Conſulamus Medicos, quibus nullum hominum Genus Naturales Notiones, ſuperiùs dictas, Cognoſcendi aut intimè penetrandi Peritiores ſunt; & dicent nobis Cibaria Dulcia, Amara, Acria, Auſtera, Calida, Frigida, Humida, Sicca, &c. Corporibus hoc vel illo modo affectis Salubria vel Inſalubria eſſe. Dicet forſan D. *Le Grand*, Senſus non nos inſtruere de aliquo horum niſi *prout* Commoda aut Incommoda ſunt Compoſito ſeu Homini: At quâ ratione? Num adeò Bardus & vel fungo ſtupidior eſt Homo, ut non advertat quòd, ſi Culter, ex eo quòd Acutus eſt, digitum ſcindat, eundem cultrum, pari ratione, etiam aliam Rem ejuſdem Duritiei, (v. g. Lignum) ſcindendi vim habere; Et ſic de reliquis? Aut, quòd ratio, cur ſcindendi facultatem habet res talis Figuræ, non inde petenda ſit, quòd minus reſiſtentiæ invenit ad penetrandum aut dividendum aliud corpus, quàm inventura eſſet modò fuiſſet *Obtuſa?* Dicet, non inde ſequi nos ad *Scientiam* comparandam ex inſtructione Senſuum provehi poſſe. At, modò *Notiones* quaſcunque Naturales ex *Senſuum* inſtructione acquirere poſſimus, quid, obſecro, impedit quò minùs etiam *Scientiam* de eiſdem, ex Mentis noſtræ *Reflexione*, comparare valeamus, æquè ac Carteſiani per ſuas Ideas?

55. Pro-

55. Procedit D. *Le Grand* §. 63. juxta Principia ſua (quæ, ut ex dictis patet, *nulla* ſunt,) explicando, dividendo, atque aſſerendo, at à *Probando* abhorret. Ait, *quædam Hominis Attributa ei competere ratione ſolius Mentis*; *Alia, ratione ſolius Corporis*; *Alia, ratione Corporis & Mentis ſimul.* Hucuſque rectè. Procedit, aſſerens ea quæ *ratione ſolius Corporis* aut *Mentis ei tribuuntur*, ad *ſolum Corpus*, aut *Mentem ſolam referenda* eſſe. Quid per vocem illam [*referenda*] intelligi vult? Num ut ad *totum* Hominem non ſpectent, licèt *ſpecialiùs* ratione hujus vel illius Partis? Si hoc intendit, omninò falſum eſt & prorſus negatur; nam omnes *affectiones*, æquè ac *Actiones* & *Paſſiones* Suppoſiti ſunt, & ad illud referuntur, tanquam quiddam ad ipſum ſpectans; nec quiſquam hoc negabit niſi qui Mentem *aliam* eſſe a Corpore *Rem* ſomniat, contra Evidentem Demonſtrationem tum Logicam, tum etiam Metaphyſicam; imò contra *formam ſanorum verborum* in explicandâ Fide Chriſtianâ; necnon contra ipſum D. *Le Grand*, qui hoc in loco, ea quæ ratione hujus vel illius partis tribuuntur, tamen *Homini* (quod *totum* ſeu *Suppoſitum* ſignificat) eſſe *Attributa*, & *ei*, hoc eſt, *Homini*, competere aſſerit. Quid deinde? Ait, [*Veritatis Cognitionem ad ſolam Mentem ſpectare*;] & cùm pro Antitheſi addere debebat [*non ad Compoſitum ſeu totum Hominem*;] loco hujus ponit, [*non ad Compoſiti Conſervationem:*] Perinde ac ſi diſcurſus hîc eſſet de homine *conſervando*, & non quæ *Attributa* ratione hujus vel illius partis *Homini* competerent. Technas, ut opinor, pluſquam Centum hujuſmodi in Diſſertatione iſtâ obſervari poſſunt. Senſu deſtituitur, ideóque *verbis* fidit callidè inſertis

Etiam Operationes quæ videntur purè Intellectuales in Homine, ad Suppoſitum ſpectare.

inſertis, mutatis ac intextis, nè quis diſcurſûs tenor appareat qui vel minimam Connexionis ſpeciem gerat, aut cauſæ ſuæ Infirmitatem prodat. At, quorſum vel cui fini, cui bono, ingerit diſcurſum iſtum? Nempe, ut concludat *Naturæ Ordinem* immutari quando Senſûs datos ad Commoda vel Incommoda Compoſiti dignoſcenda, *ad ipſius Veritatis Cognitionem convertimus.* Verùm, contra omnes Argumentationis ac Logices Regulas, ex Præmiſſis nec *probatis* nec *conceſſis* Concluſionem hanc infert. Non enim adhuc probavit aut unquam probaturus eſt, neque unquam ipſi concedetur quòd Senſûs tanquam *Media* (licèt non ut ſubjectum Immediatum,) *non dentur etiam ad Veritatis Cognitionem.* Hæc tamen unica eſt inſtantia quæ in multis retrò paginis vel Probationis ſpeciem aut umbram habeat. Totus §. 65. in reconciliando Carteſium cum ſuâ & ſuorum doctrinâ impenſus eſt: de quo ipſi viderint.

Multiplex Calumnia D. *Le Grand* adverſus Peripateticos, depellitur ac retorquetur.

56. Inſignem doctrinæ Ariſtotelæorum (§. 67.) Calumniam affingit, perinde ac ſi ſententia ipſorum eſſet, quod *Senſus certas nobis Regulas ſuppeditent, quarum ope, citra ullam longiorem Rationis deliberationem, decernere liceat, quæ intima ſit Rerum extra nos poſitarum Eſſentia, & quæ eis annexæ Proprietates.* Quæ quidem Calumnia, omni ex parte, Veritatis prorſus vacua eſt; cùm a nemine mentis compote tenenda aut ſuſtinenda ſit hujuſmodi ſententia, aut a quoquam qui non Candori valedixerit, tot viris doctiſſimis objicienda: Nihil ſiquidem rei, juxta noſtram ſententiam, habent Senſus cum *Regulis*, neque cum *intimis rerum Eſſentiis*, neque cum *decernendi* Facultate, neque cum *Rationis deliberatione*; ſed hæc omnia

omnia mentis ope habentur: Nec quidquam conferunt Sensus, nisi ut, tanquam Vehicula, particulas è corporibus emissas ad Sedem Cognitionis perferant. Hoc ubi fecerint, jam perfuncti sunt munere suo, antequam ad *Deliberandum, Decernendum, Ratiocinandum, Regulas Tradendum*, vel etiam omninò ad *Cognoscendum* deveniatur; ut jam ostensum est, & ostendetur inferiùs.

Status Quæstionis, quem D. *le Grand* se ignorare simulat, clarè expositus. Qui Sensus esse Fallaces asserunt, *Primis*, Intellectûs *Principiis* contradicunt.

57. Tandem ad Quæstionem illam maximi ferè omnium momenti, cominùs tractandum perventum est; scilicet, An Sensus nostri sint Fallaces in his quæ ad Veri Contemplationem spectant. D. *Le Grand* asserit illos *semper* nos fallere, saltem fallere posse in inquirendâ Veritate, aut in acquirendâ Scientiâ. Ego, è contrà Sensus *nunquam*, in hâc re, nos fallere, imò nec unquam fallere posse aperte ac constanter pronuntio. Vides hîc Lector Sententias omninò *Contradictorias* à me & Adversario meo assertas; unde ingentem Lapsum atque Errorem vel ab hâc vel ab illâ parte admissum non potes non prævidere; quod tum magnam Expectationem tibi excitabit; tum faciliorem, ex quâ nam parte Veritas stet, judicandi tibi copiam dabit. Ad Litis hujus Decisionem, considerandum est quid sit, juxta nostram sententiam, *Sensuum Munus*, & quid ad Veri Cognitionem expectent ab iis Peripatetici nostri, in ordine ad Speculationem. Id nempe solummodò ut Impressiones à Rebus in Mentem invehant; &, in hoc munere fungendo, sensus nunquam non esse *Fideles* & *Fide dignos* affirmo; imò, ex primo Intellectûs Principio id constare posse, constanter assero. Hoc demonstrari potest, singulos quos enumerat Sensus Externos expendendo; idémque de

de *Internis*, (ut vocat,) atque ob eandem ra
tionem, decernendum eſt. Verùm, cùm Ari
ſtoteles, &, poſt eum, Nobiliſſimus *Kenelm*
Eques *Digbæus*, aſſerat omnes Senſus eſſe Ta
ctus quoſdam, idcircò ſpecialiter ea quæ affer
contra Tactûs Senſum examinabimus, e
quòd par ſit Ratio reliquorum omnium. Ob
jicit itaque quòd quæ *manibus* tangimus, *Le
via*; eadem Pedibus contacta, *Aſpera* videan
tur. Fateor; at ſimul affirmo, Palpationem
eam quæ manibus fit, *Lævitatis* impreſſionem
invehere in Mentem; & Contactum illum
qui Pedibus fit, Impreſſionem ſeu Notionem
Aſperitatis eidem Menti ingerere; quod unum
Senſui tribuimus, aut ei ferimus acceptum.
Pergit, atque Ingreſſos Flumen ſtatim Frigus
Intenſum ſentire; at, poſt aliquam moram,
calidius videtur; cùm tamen eadem ſit Aqua.
Fareor: Verùm. cùm hoc ita ſit, certiſſimum,
imò in confeſſo eſt, quòd Aqua, primò ingre
dienti, notionem *Frigoris* imprimat; & poſtea
alicujus *Caloris*; quod ſolum eſt Senſuum mu
nus. Et ſic de reliquis omnibus quas hic ob
jicit Inſtantiis; quæ non in alium finem ad
ducta videntur, niſi ut D. *Le Grand*, ex iis
tanquam ex tot Argumentis, *demonſtret* evi
dentiſſimè ſe Statum Quæſtionis de quâ tra
ctat, ignorare; vel potius, (cùm jam illum
ex lectione Librorum meorum eum ſatis præ
noviſſe conſtet) ut tot rationibus, iiſque inſo
lubilibus, *probet* ſe Prævaricatorem eſſe, ſibi
que decretum eſſe nihil quidquam loqui quæ
ad rem in Quæſtione poſitam ſpectet. Sed,
ut his omnibus uno reſponſo occurram, aſſero,
quòd, Vel dicendum eſt Senſus nullas Impreſ
ſiones in Cognitionis Sedem inferre; & tum
perit Quæſtio, An Senſus nos *rectè* vel *ſevo*
informent;

informent; nam quod non informat *omninò*, procul omni dubio non informat *falsò*. Vel, fatendum est Sensus *nos informare* prout de facto nos *informant*, vel talem Impressionem *facere* qualem imprimunt: seu, quod tantundem est, *eam* Notionem seu Apprehensionem Menti indere quam indunt, & *non aliam*. Quæ omnia sunt Propositiones *Identicæ*, & *ex-se-Evidentes*; nec in iis quicquam *Falsi* magis inesse potest, quàm in istâ, [*Notio impressa est illa Notio quæ imprimitur & non-Alia*] vel illud Principium Primum, seu *Altissima Causa* in quam resolvitur, [*Unumquodque est id quod est.*] Quod sanè probare esse *Falsum*, D. *Le Grand*, in his angustiis constituti, permultum interest.

58. Unde itaque Error? Ex eo scilicèt quòd benè vel malè *conjungamus* Notiones, à Sensibus acceptas, in condendis Propositionibus. Intervenit siquidem *Ratio* quædam (quæ in Creatura *Rationali*, omne Judicium antecedere debet,) inter *Notiones* à Sensibus impressas, & harum Notionum Connexionem, vel *secum*, vel etiam cum *ipsâ Re*; vel saltem inter *Acceptationem* quòd connecti debeant, quod [*Judicare*] dicimus: Quæ Ratio si fallat, Mens nostra exinde in *Falsum Judicium*, seu *Errorem*, præceps fertur. *Ratio* autem, dum hoc præstat, aliquo Principio seu Regulâ dirigitur; quam *Criterion* nominamus. Quæstio itaque ad hoc reducitur, An, scilicet *Criteria* talia sint ut *nunquam* sint *Veracia* aut *Evidentia*; sed *perpetuò* Falsum aut Incertum Menti ingerant. Interroget jam seipsum D. *Le Grand*, quâ *ratione* ductus tot ac tantos *Errores* Sensibus hîc attribuit? Nam, si dicat quòd *nullâ* prorsus Ratione ductus id asserat, fatebi-

De Erroris origine.

tur ſe *Falſa* vel ſaltem *Ignota* effutiiſſe dum hæc omnia objicit, v. g. Interrogetur quare judicat *Baculum* aquâ immerſum non eſſe reverâ *Curvum* prout ibi apparet; vel, cur iſtud, tanquam *Fallaciam*, Senſui objicit? Quicquid reſpondet, tum *Rationem* juxta quam de Impreſſionibus in Senſum *judicandum* ſit, dabit; tum etiam *Criterion* aliquod, vel Commune, vel Particulare, cur apparentia illa Curvitatis inſincera ſit. Idem de omnibus quibuſcunque Fallaciis, quas Senſibus hic objicit, dicendum eſt; unde conceditur quod hîc §. 78. petit; nempe *altiùs Fundamentum repetendum eſſe, quo Senſuum Fides ſtabiliatur*; modò *de Judiciis* ex ſolâ ſenſatione ortis loquatur: quod ſi facit, extra Chorum ſaltat: cùm nos de ſimplicibus Apprehenſionibus, ope Senſuum impreſſis, loquamur, in quibus nec Veritas nec Falſitas ineſſe poteſt. Quæ una conſideratio evacuat ac futile reddit quicquid de *falſis Judiciis* Ebriorum, Stultorum, Delirantium, phreneticorum alióve morbo laborantium, & hujuſmodi, operosè hîc congeſſit. Porrò Criteria iſta ad tria Genera reducuntur. Vel enim Impreſſiones illæ quæ non rectè repræſentant Objectum, ab hoc munere deficiunt ratione *Objecti* ipſius, eò quòd non *Senſibile* ſit; & tunc tollitur Quæſtio. Vel, ratione *Circumſtantiarum*; putà *Diſtantiæ*, *Medii* &c. Vel denique ratione alicujus Internæ Organi vel Corporis Humani diſpoſitionis ſequioris: Et unumquodque horum habet Criteria ſua ſatis nota, uti vel Vulgo manifeſtum eſt; modò cogitata ſua ad examen revocandi facultatem ſeu ſagacitatem habeant, quod cuivis mediocriter prudenti conceſſum eſt. Nonnulla quidem vel ob longinquam diſtantiam, vel ob imperceptibilem

ceptibilem partium exiguitatem adeò a Sensationibus noſtris removentur, ut Criteria de iſtis nonniſi ab his qui in arte illâ periti ſunt, dignoſci poſſunt. In quo caſu hi qui Prudentes ſunt Aſſenſum ſuum *cohibent* vel *ſuſpendunt*, donec aliquid magis exploratum de iis perceperint, & ſic Errorem devitant. Hujuſmodi ſunt Judicia de Corporum Cæleſtium Quantitate, & varietate partium in ſuperficiebus vel in intimâ Mixtorum texturâ: quæ non niſi Teleſcopicis & Microſcopicis obſervationibus addiſcuntur. Quid quod Notionibus à Senſu habitis, additâ circumſtantiarum aliquali cognitione, ſæpenumerò corrigantur Impreſſiones minùs ſinceræ. Sed de his ferè omnibus in Præfatione Methodi meæ à §. 40. ad 44. ſatis largè tractatum eſt, & Objectionibus quas hîc adduxit pænè omnibus occurſum eſt. Quorum cùm vel mentionem D. *Le Grand* prætermiſerit, non meum eſſe exiſtimo *actum agere*, vel Libros meos jam editos tranſcribere, ſed Lectorem illuc remittere. Præſertim cùm is quid à me ibi allegatum fuerit ſatis pernôrit, nec tamen confutationem ullam aggreſſus ſit. Aſt, non uſu ipſi venit Libros meos legere quò ſententiam meam noſcat; nedum ut rationibus quibus ipſi in anteceſſum reſponſum eſt, ſe immiſceat; ſed ut aliqua quod hîc illîc carpat ac ſugillet invenire poſſit. Ad ea quæ objicit §. 83. & ſequentibus, de Objectis quæ à Senſu non pendent, in Indicatione Primâ ſatis reſponſum eſt. Obſervandum autem omnes D. *Le Grand* Diſcurſus tacitâ ſuppoſitione, eaque falsâ, niti; nempe quòd Mens noſtra non habeat Facultatem reflectendi ſuper Notiones Directas ac Naturales quæ Senſuum ope menti induntur; at neque ſuper ſuas

ipſius Operationes; indéque multas alias Notiones habere nos quàm à Senſu accepimus, & ab iis longè diverſas. Adeò perpetuò aberrat a ſtatu Quæſtionis, atque multo cum labore aerem verberat.

Nonnullæ frivolæ Diſſertatoris Objectiones diluuntur

59. Mirum itaque cur D. *Le Grand* placuerit tot paragraphos in nullum finem accumulare, de multis rebus nihil omninò ad rem in quæſtione attinentibus, ſcilicet, An Senſûs Apprehenſiones ſimplices ſeu notiones in mentem ingerant; in quo non poſſunt non eſſe Fideles, cùm Contradictio ſit manifeſta eos *aliter* Mentem afficere quàm afficiunt: Ea autem *Affectio* qualis qualis ſit, eſt id quod *Simplex Apprehenſio* ſeu *Notio* dicitur. Quorſum itaque tricatur enumerando quamplurimas res quas nemo mentis compos unquam ſomniavit ad *Senſus* pertinere, vel èis ineſſe? Quales ſunt *Notiones Communes*, *Virtutes*, *Scientiæ*, noſtra *Cogitatio*, denique *Deus* ipſe! Nempe ut ſuadeat Lectoribus incautis, Anticarteſianos hæc & innumera his ſimilia ſtultiſſima Deliria tenuiſſe, atque ab Erroribus iſtis adeò craſſis indormiviſſe; donec miro Dei beneficio Carteſius miſſus eſt in Mundum ad denſiſſimas haſce Tenebras diſpellendas; cùm tamen mortalium nemo adeò inſanus repertus ſit qui exiſtimavit Virtutes, Scientias, & Affectiones Spirituales, nedùm *Deum ipſum*, Viſu, Tactu, Guſtu, vel Odoratu, attingi; nec *Judicia* quæ de his omnibus habemus, eſſe Senſibus accepta ferenda.

60. Premit cùm Carteſio ſuo Paradoxum illud uſque ad Inſaniam *Ingenioſum*, neminem poſſe certò ſcire *Vigilne* ſit an *Somniet*. Quæ Novitas (& huic Similes) inopinanti Mundo ex improviſo ſuperveniens, tum magnam Authori

thori conciliavit exiſtimationem, tum Mentes incogitantium hominum adeò perculit, ut mirum eſſet eos, intellectui etiam evidentiſſimè cognoſcenti diffiſos, in Scepſin confertim non ruiſſe, eíque manus dediſſe. Unde factum eſt ut libentiùs auſcultârint Scriptori, qui perplexitati, quâ eos involverat, & quæ primo intuitu Inſolubilis videbatur, ipſos extricandi ſpem dediſſet. Quæ tamen Difficultas cuiquam, ad Principia attendenti, ſolutu facillima eſt. Nam, cùm Notiones omnes noſtræ cum Phantaſmatibus, à quibus ingeſtæ ſunt, conjunctæ reperiantur; & omnia Judicia quæ habemus ex Notionum connexione conſtent; non mirum quòd Phantaſmata quæ ſubſerviunt Animæ tum Judicanti tum Ratiocinanti, ordine quodam in cerebro etiam conjuncta maneant: eaque, inter dormiendum, caſu aliquo excitata, ſimulachra quædam ſeu quaſi Umbras Judicandi & Diſcurrendi repræſentent. Hæc autem omnia, aut hujuſmodi Apparentias, non eſſe veram Cognitionem inde patet, quòd vel Simplices Apprehenſiones, quæ nobis vigilantibus ingenerantur, & in quibus acquirendis Mens non *Activa*, ſed merè *Paſſiva* erat, non verè ac propriè *Cognitiones* nominandæ ſunt. Nam *Cognitio* quandam Notionum *Conjunctionem* ſonat quæ à nobis facta eſt: Cùm tamen Notiones non *fecerimus* nos, ſed in nobis *factæ* ſunt; Et —*Quæ non fecimus Ipſi, Vix ea noſtra voco*— Unde ſuperiùs oſtenſum eſt, nos non poſſe cognoſcere quòd Notiones ullas habeamus, niſi per *Reflexum* Mentis Actum. Quare, ſoli mentis noſtræ Actus *Reflexi* ſunt proprie loquendo *Cognoſcitivi*. His præmiſſis, proximè advertendum venit, nos, cum Vigiles ſumus non ſolùm *repræſentamen* aliquod,

vividum ac vegetum habeamus, quòd tales Res, Judicia aut Ratiocinationes nobis *propoſitæ* ſeu *objectæ ſint*, quæ omnia Phantaſiæ ſoboles eſſe poſſunt; ſed inſuper *reflectimus* ſuper hæc omnia, hoc eſt *Cognoſcimus* ea ita eſſe qualiter apparent; & ex iſtâ *Reflexione* ac *verâ Cognitione*, *Judicamus* nos *non decipi*, ſed *reverâ* omnia illa eodem modo ſe habere prout nobis videntur. Quinetiam, *Reflectimus* ſuper hunc ipſum ſtatum *Vigiliæ* noſtræ; ſeu *cognoſcimus* nos *Vigilare*: Cùm tamen (quod valdè notandum) nemo inter ſomniandum *Reflectat* ſuper ſtatum ſuum, ſeu *ſomniet ſe ſomniare*; ſed omnia quæcunque ſe offerunt abſque ullâ dubitatione *acceptet*; quod inde evenit, quia ſpeculativè de *Veritate* cujuſquam rei ſic repræſentatæ *Dubitare* (quod abſque *Reflexione* fieri nequit) non ſumus tunc temporis Capaces. Et, licèt meminerim quòd nonnunquam, quando ſcilicet res aliqua mihi valdè incommòda aut noxia ſit, me cogitationem iſtam habuiſſe, [*Forſan totum hoc non niſi ſomnium eſt*,] tamen hoc nunquam accidit, niſi quando, noxiâ illâ Phantaſiâ excitatus, *evigilare incipiebam*. Porrò, omnes Effectus, ex *Reflexionibus* noſtris oriundi, *conſtanter manent*; nempe Manufacturæ quas fabricamus, Libri quos ſcribimus, &c. certiſſimè Cogniti ac Comperti ſunt eſſe *Reales*, & non *Fictitii*, imò agnoſcuntur ab omnibus quibuſcum verſamur *Reales* eſſe; cùm tamen Effectus illi qui in ſomnio a nobis vel aliis videntur fieri, ſimulac experrecti ſumus, in auras evaneſcant, & Deluſiones eſſe prodantur manifeſtò, ex eo quòd nullum eorum veſtigium in rerum naturâ relictum ſit. Quid quòd nunquam *corrigimus* in ſomniis nocturnis cogina-

gitationes illas quæ interdiu & vigiles habuimus; cùm tamen nos pænè ſemper *corrigere* Phantaſias illas quas habemus in *ſomnio*, eáſque rejicere tanquam frivolas, vel riſu eas proſequi, nobis compertiſſimum ſit. Quid quòd inter ſomniandum non ſemper, uno eodémque gradu, profundo ſomno obruimur, ſed nonnunquam non niſi ſemiſopiti ſumus; quæ conſideratio objectiones nonnullas frivolas prævenit. Multa alia hîc adducere poteram ad oſtendendum ingens diſcrimen inter Certitudinem illam quam de rebus quando ſomno ſopiti, & quando vigiles ſumus, dictante Naturâ, habemus. Notandum autem peculiare eſſe Carteſio ſuíſque tales Objectiones ponere, quas ex bonitate Naturæ, a Divino Numine ipſis vel invitis inditâ, ipſimet fatebuntur eſſe *Falſa*, nec a quoquam mentis ſanæ *cogitari*, nedum *judicari Vera* poterant. Qualia ſunt, dubitandum de omnibus quæ ab ineunte ætate, Senſuum ope, judicavimus eſſe Vera; dubitandum de impreſſionibus omnibus per Senſus menti inditis, vel an vigiles ſimus necne; imò an omnino *ſimus*; cùm non aliunde cognitionem *ſuæ ipſius Exiſtentiæ* conquirere potuit Carteſius niſi in dubium revocando omnia illa, quæ toti Humano Generi, atque adeò Ipſimet, Notiſſima ac Manifeſtiſſima erant. Quod ſanè diſcurrendi genus tum Rationi Communi, tum omnibus quibuſcunque Artis Regulis, denique omni ingenuitati ac Candori omninò contradicit; à quibus omnibus prohibemur, quicquam contra Theſin aliquam objicere quod ipſimet non exiſtimemus eſſe *Verum*; aut, cùm *confutare* Theſin aliquam idem ſit quod *oſtendere eam eſſe Falſam*, aliquid adducere, niſi tale ſit, ut inde ſperemus Objectionem

ctionem noſtram vim aliquam habere poſſe ex eo quòd *Verum* ſit quod Opponimus! At tantum abeſt ut *Vera* objiciendi curam habeant novi iſti Philoſophi, ut nec *Veriſimilia* quidem objiciant; ſed volunt nos de talibus Veritatibus dubitare, de quibus nemo mentis compos, (nec ipſimet etiam) quantumvis id velint, dubitare poterunt.

Impium eſt aſſerere quòd non æquè notum ſit Deum eſſe *Bonum* & *Veracem*, ac quòd eſt *Potens*.

61. Malè ſanæ iſtius diſcurrendi methodi, alterum nobis dat ſpecimen D. *Le Grand*, §§. 81, 82. ubi, loquens de Deo, ait, —*Non poſſum non fateri, tam Potenti Numini omnia licere, atque ſi quidem velit, poſſe efficere ut in iis fallamur quæ Senſus noſtros clariſſimè percellere nobis videntur.* Si ipſe hoc dixiſſem, me *in Deum eſſe Impium* proclamaverat, qui vel *ſuggerere* auſus ſim Potentiam Dei decere in eâ re ſe exerere, quæ Humanum Genus ferè pecudum ſimile redderet. At fatetur, pro pietate ſuâ, dicam an Inſcitiâ, id non poſſe fieri; & ſcrupulum illum nobis eximit, eò quòd *Deus* ſit etiam *ſummè Bonus* ac *ſummè Verax*. Quare, ſi iſtud rationem dubitandi tollat, cur, obſero, Rationem adeò frivolam de omnibus dubitandi, qualis erat prior ille, allegavit? Perinde ac ſi non æquè notum eſſet Deum eſſe *Summè Bonum* ac *Veracem*, atque eſt quòd ſit *ſummè Potens*. Conſulat, obſecro, *Ideam* Dei, & dicat utrùm *priùs* aut potiùs cognoſcat, exinde, Deum eſſe *ſummè Potentem*, quam *ſummè Bonum* aut *Veracem*. Et, ſi nihil hujuſmodi ibi reperitur, dicat quare ab *illo* Attributo potiùs quàm ab *his* inceperit, quò dubitandi de omnibus rationem ſuggereret; cùm, ſi *iſta* Attributa æquè ac *illud* in Ideâ Dei inſint, ratio inde petita (ut vel ipſemet profitetur) penitùs ſublata ac *nulla* foret? Aut, cur rationem adduxerit quam

ipſemet

ipſemet prænovit atque agnoſcit, nullam omninò vim habituram! Qualis denique eſt mos iſte diſcurrendi, Carteſio ſuiſque peculiaris atque uſitatiſſimus, quidlibet dicere, modò *Novum* ſit & *Paradoxum*, licèt ipſimet probè nôrint, illud neque Solidum eſſe nec omninò Verum?

62. Pergit §. 83. enumerátque quamplurima quæ a Senſibus non pendeant; de quibus diximus ſuprà. At peſſimè Statum Quæſtionis proponit, vel potius *ſupponit*. Nam *vera* Quæſtio eſt, An *Actus* habere poſſimus ullos, ſuper *Directas* Notiones, quæ ope Senſuum imprimuntur, *Reflectentes*, ſeu *Actus Reflexos*, ſi nullas habuiſſemus *Directas* Notiones ſuper quas Reflectere poſſemus? Contra quam nihil affert: Adeò rei de quâ diſputatur penitùs ignarus eſt. Novimus aliqualiter ex impreſſionibus, Senſuum ope Menti inditis, *quales* ſint res quæpiam *Materiales*; & ex Reflexionibus ſuper has, ſimúlque ſuper Mentis noſtræ operationes, diſcernimus, eas *comparando*, *has* eſſe Naturæ prorſus *diſparis* ab *illis*. Unde *Immateralium* ſimplices Notiones nanciſcimur. Ex eâdem Reflexione cognoſcimus quid ſit *Ratio*, quomodo regenda ſit; & quando tum in Speculativis, tum in Practicis, ſecundùm Rectam Rationem procedimus: E quorum Priore *Artium* & *Scientiarum*, è Poſteriori, *Virtutum* omnium Notiones comparamus. Idem Error D. *Le Grand* devium agit quando de Abſtractis & Metaphyſicis Notionibus objicit: nam quomodo poterit quis *abſtrahere* Notiones, aut de Abſtractis *diſcurrere*, ſi nullas habeamus Notiones *Singularium*, a quibus abſtrahere poſſimus; Notiones autem Singularium, ope Senſuum haberi, ſuprà oſtenſum eſt. Nam poſtquàm

Quomodò Mens à Notionibus Naturalibus, quas ope Senſuum habet, ad ad alia cognoſcenda progreditur.

quàm Homo adeptus est Notionem Existentiæ suæ, cognoscit se *posse existere*, seu esse *Ens*; &, cùm Ratione colligit evidentissimè quòd nihil *in communi* existere possit, quin necesse est ut sit *Hoc* vel *Illud*, seu *Determinatum*, vel *Distinctum* ab aliis; etiam cognoscit se esse *Individuam rem*, seu *Individuum Ens*; quod *Substantiam Primam* seu *Suppositum* nominamus. Deinde, observans Notionem *Existentis* seu *Entis* competere seu *Communem* esse omnibus quibuscum versatur, inde *abstrahit* Notionem Generalissimam *Entis*; &, ulteriùs etiam Reflectendo, de *Partibus* Entis præcisè ut *Ens* est, & *Attributis* seu Proprietatibus ipsius; de quibus tractare Supremæ Scientiæ, seu *Metaphysices*, magna pars est. Cæterùm, mirum est quenquam eò insipientiæ processisse, ut imponat Adversario quòd existimet, inter alia etiam *Axiomata* & *Propositiones* fuisse in Sensibus, & *a Sensibus in Mentem profluxisse*; quod à nemine sano, vel etiam Insano, unquam cogitatum fuit, aut in Imaginationem venit.

Fundamentales Errores quæ Dissertatorem, hâc in re, devium agunt.

63. Id autem valdè notandum, D. *Le Grand* duobus præcipuè Erroribus Discursus suos superstruxisse; quibus tota, quam habent, vis innititur. Unus est, quòd tum hîc, tum in sequentibus (& sanè pænè ubique, ubi de hâc quæstione tractat) non distinguat inter *Simplices Apprehensiones* & *Judicia*; atque exinde Peripateticis passim imponat Fatuitatem illam, a nullo mortalium (quod sciam) sustentatam, nempe *Judicia* seu *Propositiones* Sensibus ineſſe, atque *ab illis* (ut ait) *in mentem profluxisse*. Alter, quòd fingat seu *supponat* Mentem Humanam, (seu potius *Hominem*,) adeò *Stupidam*, ut, Notionibus imbuta, non possit super eas *Reflectere*, easdem inter se Comparare, Componere,

ponere, diversimodè Prædicare, Dijudicare, Secernere à se invicem, Dividere, Addere, Multiplicare, de iis Discurrere; &, ex *Individibili* Mentis naturâ, à *rudi* atque Indeterminato statu, quem Impressiones illæ Primæ, seu Notiones (utpote immediata Materiæ soboles) necessariò sapere oportebat, ad Determinatam, Concisam ac Determinatam indolem redigere; uti in Præliminario meo Quarto & speciatim §. 23. luculentur ostensum est. Quæ facultates si *Homini* quatenùs *Mens* est, (uti oportet) concedantur, omnia pænè quæ hic adduxit in fumum abibunt. Adeò à Quæstionis statu, ac sententiâ nostrâ quam hic impugnâsse videri vult, penitùs evagatur, ut cuncta quæ ab Intellectu, suo modo operante, peraguntur, is imponat nobis perinde ac si existimemus illa à Sensibns, quibus inerant, hausta. Quo nihil esse à Veritate magis alienum, aut nobis magis injurium, jam manifestum dedi.

Propositiones Categoricæ ex Indicatione Quartâ Collectæ.

Adeo hebes est Homo, ut, licèt Sensus eum informent quid ipsi obest aut prodest, non possit tamen inde colligere ob quam rationem sic afficiatur. §. 54.

Calumniari Adversarium fortiter, & multas opiniones ipsi imponere quas nemo sanus unquam sustinuit, tunc Dedecus inurit ipsi, tum Confutationem ipsius reddit facillimam. §§. 56, 59, 62.

Fallaces,

Neceſſe eſt Cauſam Carteſianam eſſe ſuſtentandam, quòd Senſus ſint Fallaces; etiamſi, quâ hoc ſtabiliatur, Prima Principia negentur. §. 57.

Juxta Doctrinam Carteſianam forſan somniavit *D.* Le Grand *quando Libellum iſtum ſcripſit.* §. 60.

Licèt Carteſianis quidlibet de Deo dicere aut fingere abſque Impietate. §. 61.

INDI-

INDICTAIO Quinta.

De Ideâ Dei, Prævaricatio D. Le Grand *à toto munere quod ipſi incumbit. Fanaticiſmus ipſius. Quàm facillimum eſt* Ideam Dei *habere abſque ullâ ſpeciali Facultate eam* eliciendi. *Claris S. Scripturæ verbis malè quadrat Doctrina Carteſiana. Ridiculum eſt aſſerere nihil ferè ſciri poſſe abſque Præcognitione Ideæ Dei. Nec Rudiores Pagani, nec multi Chriſtiani, nec D.* Le Grand, *intelligunt* Senſum *Vocum quibus nonnulla Attributa Dei exprimuntur. Carteſiani negant ex Adventu Chriſti Mundum fuiſſe converſum a Falſis Diis ad* Dei Veti Cognitionem. *Poſſumus ex Notionibus Communibus facilè formare in nobis ipſis Ideam ſeu Conceptum Dei; eâdemque imbuere* alios. *Fruſtrà contendit probare ex Inſtantiâ ſuâ, Cauſarum ſeriem eſſe interruptam.* Concluſio *à D.* Le Grand *multo labore Deducta, quæ ſemper fuit a nobis Conceſſa.*

64. Aliud, Argumentum dicam an Paradoxum planè Inſanum, a Carteſianis magni æſtimatum, ab *Ideâ Dei* deſumitur; quam

Quid ſit juxta D. *Le Grand*, Idea Dei.

quam nobis ineſſe, nec tamen a *Senſibus* aut ab ullâ re *Senſibili* provenire poſſe aſſerunt. Hanc Dei Ideam omnes quoſcunque homines, etiam Atheos & Paganos, habere opinantur. Antequam ad Erroris hujuſce confutationem accingimur, priùs videndum eſt, Quid per Ideam illam intelligat D. *Le Grand*: quam nullibi diſertiùs *explicuit*, aut etiam *probavit* quàm §. 87. his verbis, [quòd Deus ſit *Ens ſummè Perfectum, Infinitum, Æternum, Omnipotens, &c. Quæ Idea ita cuilibet manifeſta eſt, ut ſive quis Deum fateatur, ſive abnuat, ſe Dei Ideam animo complecti negari non poteſt. Nam, quomodo alterutrum facere potuit, niſi Ideam ſeu Conceptum rei illius, de quâ ſermonem facit, habeat? Cùm nihil verbis exprimere poſſimus, intelligendo id quod efferimus, quin, hoc ipſo, certum ſit nobis ejus Ideam ineſſe, quod verbis illis ſignificatur.*] Quod ad hoc tandem redit, *Senſum*, ſeu *Significationem* vocum iſtarum [*Ens ſummè Perfectum, Infinitum, Æternum, Omnipotens, &c.*] eſſe *Ideam Dei*: prout etiam inferiùs §. 92. clariſſimè ſe explicat. [*A nemine* (inquit) *negari poteſt ſe aliquam Dei Ideam habere, niſi dicat ſe non intelligere quid hæc verba ſignificent.*] Non hæc recito eò quòd iſta *objiciam* D. *Le Grand*; nam veriſſima ſunt: Etenim *Senſus* ſeu *Significatio* vocum illarum eſt prorſùs illud quod Ego *Notionem* ſeu *Apprehenſionem Simplicem* appello; & quam D. *Le Grand Ideam* vocat, *Conſequentias* autem quas inde deducere conatur, præcipuè quòd neceſſe ſit ut *Idea* iſta non aliàs haberi poſſit niſi a Mente noſtrâ eam Eliciente; tum pernego, tum eas Falſiſſimas eſſe oſtendam.

65. Pro-

65. Proximè notandum, quòd, Carteſiani, ex iſtâ *Simplici Apprehenſione* ſeu *Idea* Dei, ſeu, quod tantundem eſt, ex *merâ Significatione* Vocum jam dictarum, demonſtrare contendant, *Deum exiſtere*: atque ex eo quod tale Ens *ſummè Bonum* ac *Verax exiſtat*, nos (eam *aliàs* non habituros) Certitudinem atque Evidentiam de aliis rebus habere poſſe. Fatentur ſiquidem, ſe, niſi his priùs cognitis, non poſſe etiam de rebus quæ nobis videntur Clariſſimæ, certos eſſe. Quarum opinionum Prior, Chriſtianam Philoſophiam Ridiculam facit; Poſterior, omnem prorſus Cognitionem aut Demonſtrationem Dei ex Creaturis, contra ſenſum totius Eccleſiæ Chriſtianæ, tollere videtur. Unde Effatum illud Prius, a quo Alterum pendet, inſtar Principii cujuſdam apud Carteſianos obtinet. At quam futile ſit iſta argumentandi Methodus, in Præfatione ad *Methodum* meam, p. 45. jam demonſtratum eſt. Probat autem Ideam Dei, vel quod perinde eſſe ait, *Cognitionem ſenſûs iſtorum verborum*, neque haberi poſſe a *Senſu Externo*, neque ab *Interno*, neque a *præviâ rerum Corporalium Viſione*; neque a *Parentibus*, neque ab *Inſtitutione*, neque à *Sacrâ Scripturâ*, neque ex *Fictione* Mentis noſtræ; quare concludit eam Menti noſtræ eſſe *Innatam*; ſeu Facultatem quandam Menti noſtræ eſſe inditam eam ex ſe eliciendi. Certè, D. *Le Grand*, ipſemet, *Idea* ſeu *Exemplar eſt* Authoris à Quæſtione, & ab his quæ pro ſententiâ contrariâ adducuntur, perpetuò prævaricantis. Nam, quare, obſecro, inter reliquas Enumerationis ſuæ partes non poſuit, *Senſum* vocum iſtarum non haberi potuiſſe ex *Ratione*, ſeu ex *Reflexione* Mentis noſtræ ſuper Notiones Communes ac Naturales, earúmque Com-

Quòd impugnet ſententias quas nemo unquam aſſeruit, & præterit noſtram quæ ſola impugnanda erat.

Compoſitione; ſeu ex *Ratione* Humanâ eaſdem comparante, ac de iis Diſcurrente? Jam noverat iſtum eſſe Senſum ac ſententiam Humani Generis ante Carteſium natum; & quòd viri docti, exinde, præſertim ex Ordine Mundi, & Notionibus Metaphyſicis, plurimas Demonſtrationes texuerint tum de Exiſtentiâ Dei, tum de Attributis quæ hîc nominat. Quare, totus ipſius Diſcurſus conſtat ex Fallaciâ *malæ Enumerationis partium*, nec aliud Reſponſum meretur. At, quod turpius eſt, nonnullas *partes* adducit, ſeu modos, per quos ſolos ad Cognitionem Dei attingi poſſe nemo mortalium exiſtimavit aut unquam aſſeruit (nempe à Senſu Externo, aut ab Interno, ſeu Imaginatione;) & illum ſolummodò prætermiſit Cognoſcendi Dei modum quem ſatis jam noverat à nobis aſſertum; nempe a *Ratione* ſeu Mentis Reflexione ſuper Creaturas, quæ ſunt *Opera manuum* ipſius; ac proinde Veſtigia Conditricis Sapientiæ manifeſta in earum Fàcturâ, Ordine ac Gubernamine in ſe expreſſa habent. Quid quòd, ſi nihil ampliùs requiratur ad Ideam Dei, præterquam ut quis habeat *ſenſum* vocum illarum; ſanè facillimè haberi poſſit talis Conceptus ferè abſque Rationis ullius aut pænè Reflexionis ope. Nam, ſicut, habitâ ſemel notione *Juſti*, *Digni*, *Potentis*, &c. facillimum erit annectere notionibus illis ſignificationem Adverbii [*non*,] indéque Notionem *Injuſti*, *Indigni*, *Impotentis* &c. habere; ita, habitâ notione, ſeu *ſenſu* vocis [*Finis*] pari omninò facilitate notionem ſeu ſenſum vocis iſtius [*Infiniti*] habere poterimus. Quam Notionem [*Infiniti*] ſi appingere velimus Notionibus harum vocum [*Ens*, *Juſtus*, *Exiſtens*, *Sapiens*, *Bonus*, *Verax*, &c.] Notionem ſeu Ideam

Ideam talis Entis qualis *Deus* eſt, nullo negotio, vel inviti, habebimus; neque ulla neceſſitas erit quòd Divinum Numen ſpeciali modo curaverit, *per Creationem* (uti ait hîc §. 100.) *effigiem intellectualem expreſſam* in homine *relinquere*, vel *Notam imprimere*. Ne expectet Lector ut cunctas Enumerationis partes, quas nobis hîc exhibet D. *Le Grand*, ſigillatim proſequar. Nam, præterquàm quòd nil ad rem (ut jam oſtenſum eſt) faciant, tot futilitatibus ubique ſcatent, ut *cunctas* Ordine recenſere pigeat. Nonnullas tamen ex his, quæ ipſi quantivis momenti videbantur, præterire non licet.

66. Ad quas antequam procedam, non abs re erit oſtendere quonam modo Nos, & quo Carteſiani hujuſmodi Ideam acquiramus. Nos, multas Creaturas eſſe Limitatas ſeu Finitas, Senſuum ope, diſcimus; de reliquis Rationis operâ idem colligimus. Nam, cùm *Multæ* ſint, quarum *Una* non eſt *Alia*; hinc facillimè deducimus unamquamque harum *aliquid habere* in ſe quod Alia *non habeat*; ac proinde omnes eſſe *Finitas* quoad Eſſentiam ſuam. Hinc Notio [*Finis*] ſeu [*Finiti*] ſeu [*non ultra*] nobis perquàm familiaris eſt; ut & Negativa illa Notio quàm per Adverbium [*non*] exprimere ſolemus. Et cùm, nihil Menti noſtræ facilius eſſe comperiamus, quàm Notiones duas, modò non ſint incompoſſibiles, in *unam* Notionem compingere, facillimè conjungere poſſumus has duas Notiones, nempe [*Finiti*] & [*non*] & Notionem [*Infiniti*] ex illis componere. Et, cùm nullam Notionem Poſitivam habeamus niſi quæ à Creaturis hauſtæ ſunt, quarum nulla (cùm omnes ſint Limitatæ ac Finitæ) reperitur quæ ſublimem

Mens D. *Le Grand*, dum elicit *Ideam* Dei ex ſeſe, eſt, juxtà ſua ipſius verba, *Creator Dei*.

Dei Majeſtatem deceat; idcircò *removemus* a Deo quicquid Finitum atque Imperfectum eſt in Creaturis, & dicimus Deum eſſe *Infinitum* in omnibus his Perfectionibus quas vocamus *Simpliciter Simplices*; hoc eſt, eas quæ Dignitatem ſeu Excellentiam Naturis Spiritualibus tribuunt; & affirmamus Deum eſſe *Infinitum* in unâquâque harum; ſcilicet, Infinitè Bonus, Sapiens, Juſtus, Miſericors, &c. Quid Carteſiani? Aiunt Ideam Dei nihil aliud eſſe quàm *Senſus* vocum quibus has Perfectiones ſignificamus; ad hoc tamen requiri ut Notionem [*Infiniti*] adjungamus, tanquam id quod ſolum Deo Proprium & peculiare eſt. Num exiſtimant penes Mentem non eſſe Notionem [*Infiniti*) ex notione Negativâ vocis [*Non*] & [*Finiti*] componere? Quâ ratione? Cùm notiſſimum ſit nos poſſe prò libitu duas Notiones Simpliciores in unam Notionem Compoſitam connectere. Cur itaque ſpecialem *Facultatem* in Animâ requirunt ad hunc Conceptum *eliciendum*, magis quàm ad habendum Conceptum de quâvis aliâ ejuſmodi Notione; nempe, de Indiviſibili, Inſipiente, Jagrato, Immortali, &c. Scilicet, quia fert eorum Genius communes Naturæ Methodos repudiare & tranſcendere; atque ad myſteriosas ſublimitates, licèt a ſolido Naturæ curſu & Cauſarum cum Effectibus connexione abhorrentes, cuncta reducere. Quàm apertè iſtud Fanaticiſmi Spiritum redoleat, Lectorum Judicio relinquitur. At graviorem (ut *ad hominem* arguam) adverſus D. *Le Grand* Querelam habeo, quæ priorem Enthuſiaſmi Notam doctrinæ ipſius inurit. Aſſerit Mentem ſuam *elicere* ſeu *formare ex ſeſe Ideam Dei*. Aît etiam (p. 18) Ideam eſſe *Rem ipſam* quæ concipitur;

cipitur; ideóque *Idea Dei* eſt *ipſemet Deus*; quare, juxta doctrinam iſtam *elicit* ſeu *format Deum ipſum* ex ſe; unde ſequitur quòd Mens D. *Le Grand* ſit *Factor Dei*, imo ipſius *Divinitatis*; & cùm Mens, juxta Philoſophiam ipſius, ſeorſim à Corpore ipſius conſiderata, (prout hîc eſt) ſit *Actus Purus*, nec proinde ullam Potentiæ ſeu *Materiæ* rationem in ſe habeat è quâ *educatur* Idea iſta *Dei*; cúmque quod fit ex *nullâ* Præexiſtente *Materiâ Creari* dicatur: Mens ejus, ſecundum hanc malè ſanam doctrinam, etiam *Increati* Numinis *Creator* erit. Abſit, ut iſtud objiciendo aliquam Impietatis maculam D. *Le Grand* imputem. Non ex malâ intentione, ſed ex profundâ & cordiali (ut ita dicam) Inſcitiâ hæc & hujuſmodi Carteſiana deliria profluxiſſe ex animo ſentio. Maximè autem ſuâ intereſt ut ab hâc labe ſe purget; quod non aliâ ratione fieri poteſt niſi allegando ſe verbis proximè ſequentibus (ut jam oſtenſum eſt,) ſibimet contradixiſſe. At peſſimè accidit, quòd poſteà malè cautus aſſererit per Ideam, *Solem ipſum* eſſe *in* intellectuo ſuo, licèt non *eo modo* quo eſt *extra* Intellectum. Sanè quiſquam benè perpenderit verba Malbranchii in Præfatione Libri primi *de Inveſtigatione Veritatis*, nempe, [*Omnes Scientiæ addiſcuntur per Attentionem Mentis, quæ nihil aliud eſt præter Recurſum & Converſionem ejus verſus Deum, qui ſolus poteſt nos docere Veritatem per Manifeſtationem Subſtantiæ ſuæ,*] ut eſt illud [*Oportet ut homines intra ſemetipſos inſpiciant, & appropinquent Lumini quod ibi lucet, ut Ratio ipſorum magis illuminetur.*] Illud etiam, [*Ii qui nos* audiunt, *non* diſcunt *Veritates quas* Auribus *eorum proferimus, niſi* Deus *eodem tempore eas Menti ipſorum* revelaverit;] Denique,

[*Mens* (ſcilicèt in addiſcendis Scientiis) *immediatè & ſtricto admodùm modo* unitur *Deo*; *imò ſtrictiore & magis Eſſentiali modo quam cum* Corpore.] Quiſquis, inquam, hæc & hujuſmodi perpenderit, & cùm nonnullis D. *Le Grand* Placitis contulerit, pervidebit eos qui Carteſianam Doctrinam altiùs imbibêrunt, Specialibus Dei Revelationibus inhiare; quin etiam exiſtimare ſe intimam familiaritatem habere cum Deo; adeò ut Divina Voluntas præſtò ipſis ſit, (quòd non niſi ex *Revelatione* ſciri poteſt) & Rationis locum ſuppleat. Viderint de his Rectores Eccleſiæ quorum intereſt hujuſmodi *Principiis obſtare*. Certè ex Levioribus initiis Sectas nonnullas *Deliras & Fanaticas* ortum habuiſſe teſtantur Hiſtorici. Sed, ut ad D. *Le Grand* revertamur.

Quam gnaviter explicat S. Scripturam, Ideiſtica D. *Le Grand* Doctrina.

67. Probat Theſin ſuam §. 87. ex eo quòd *Deus ſit ex naturâ ſuâ maximè intelligibilis*. Sed Quæſtio eſt an ſit maximè ſeu primò intelligibilis nobis in hoc ſtatu, dum obſcuro Corporis carcere detenti ſumus. Porrò, cùm *Idea Dei*, per quam ſolum ponit Deum eſſe nobis intelligibilem, ſit, juxta ipſum, idem quod Senſus dictorum verborum [*Summè ſeu Infinitè Potens, Bonus, Sapiens*, &c.] & notio [*Infiniti*] ſit illa quæ *ſola* Ideam Dei *formaliter* conſtituit; nego *Senſum* vocis [*Infinitus*] eſſe æquè intelligibilem atque eſt Senſus verborum [*non*] & [*Finis*;] eò quòd hæ Notiones *Simpliciores* ſunt quàm illa altera, quæ Compoſita eſt ex utriſque. Unde noſter procedendi modus eſt magis rectæ rationi conſonus, ut qui à *magis notis* ad *minùs nota* conſurgit & gradatim progreditur. Verùm hoc magis quadrabat *hyſteræ-proteræ* Carteſii Methodo, quæ nihil, præter Mentem ſuam, ſciri potuiſſe

potuiſſe aſſeruit, niſi prius cognoſceretur Deum eſſe Bonum & Veracem; quò Dubietate, cæteroqui inſuperabili, liberari potuit, quam aliàs habitura eſſet de aliis omnibus rebus etiam Evidentiſſimis (v. g.) An *Quadratum habeat quatuor latera*, &c. Secundò, citat ad idem probandum, Rom. 1. v. 19. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: Gentibus* ſcilicet, At ſupprimit verba proximè ſequentia, quæ exprimunt *Modum* quo Deus illis *manifeſtus* erat, ſeu *Rationem cognoſcendi* Deum (quod propiùs ad Quæſtionem præ manibus ſpectabat;) licèt verba illa ſequentia evidenter Rationem præcedentium, idque ex profeſſo, exhibeant; ſcilicet, [*Inviſibilia enim Dei, a Creaturâ Mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur*] Quæ verba totam Carteſianam doctrinam de modo Cognoſcendi Deum *per Ideas* penitùs evertit. Nam, Notandum primò, Apoſtolum hic loqui de *Modo* quo ad Cognitionem Dei pervenitur. Secundò, aſſerit, *ea quæ Dei ſunt*, inter quæ numerat *Sempiternam ejus Virtutem ac Divinitatem* (hoc eſt, *Eſſentiam* ſeu *Ideam Dei*) *ex ſeſe* eſſe *Inviſiblia* ſeu *non-Manifeſta*, dum oſtendit ea eſſe manifeſtanda *aliunde*. Tertio. ait expreſsè quòd iſta *Inviſibilia Dei*, ſeu *Eſſentia* & *Attributa* ipſius, *conſpiciantur* ſeu reddantur *intellecta*, *à Creaturâ Mundi*, *per ea quæ facta ſunt* (*à Deo* ſcilicet, non à *Mente noſtrâ*;) hoc eſt, ut patet ex Antitheſi, intelliguntur per ea quæ *Viſibilia* ſunt: quod male quadrat cum *Ideis Carteſianis*. Prudenter itaque ſuppreſſit D. *Le Grand* verba iſta, licèt immediatè ſequentia, atque quodammodò contexta per Conjunctionem [*enim,*] eo modo quo *Ratio* ſeu *Præmiſſæ* cum Concluſione conjunguntur; imò, licèt

prioris versûs quem citat omninò *Explicativa* erant; quia non potuit non videre ſingula pænè loci illius verba *Rationem Cognoſcendi* per *Ideas*, confutare, & doctrinæ Carteſianæ, hâc ex parte, contraria eſſe. Quare, non abs re eſſet, videre qualem Explicationem Textûs hujuſce, D. *Le Grand*, qui in allegando S. Scripturâ multus eſt, juxta doctrinam Carteſianam nobis exhibere teneatur; ſcilicet,

Inviſibilia Dei. — Hoc eſt, — *Eſſentia* & *Attributa* Dei, quæ *Ideam* Dei conſtituunt; & nobis *primò Nota*, & maximè *Viſibilia* ſunt mentis noſtræ oculo; utpote ſine quorum Cognitione nihil aliud quod *factum* eſt, cognoſci poteſt, ſed omnia *Dubia* ſunt.

Conſpiciuntur. — Hoc eſt, — Licèt *maximè*, ſeu *primo Nota*, tamen *Magis nota*, ac Manifeſta redduntur ab aliis.

Intellecta. — Hoc eſt, — Non *per ſe*, ſed *per alia*, Cognita, licèt illa Alia non omnino cognoſcantur niſi *per illa*.

A Creaturâ Mundi per ea quæ facta ſunt. — Hoc eſt, — Non per *Res Creatas*, quæ *facta* ſunt à Deo, ſed per *Ideas*, quas Mens noſtra *elicit* ac *format ex ſeſe*.

Utrùm

Utrùm D. *Le Grand* ſit magis Doctus S. Scripturæ Expoſitor, an magis Scientificus Philoſophus, *in dubio hæret*, & Lectorum judicio relinquendum eſt.

68. Secundò, §. 88. Aſſerit *Hominem ad Deum cognoſcendum ferri, tanquam ad Principale ſuum Objectum.* At Quæſtio eſt, utrùm ope *Creaturarum*, quæ *factæ* ſunt a Deo, tanquam Objectorum *Miniſterialium* ſeu *minùs Principalium*; an ope *Idearum* à nobis *Elicitarum* tanquam *Mediorum*, homo ad Dei Cognitionem evehi debeat. Ex intentione quidem Naturæ in *ſolum* Deum, ejúſque *Cognitionem*, tanquam, *Summum* ſui *Bonum* fertur; At *Summum* Hominis *Bonum* eſt etiam *Ultimus* ejuſdem *Finis*. Num vult D. *Le Grand*, nos *Ultimum Finem* abſque *Mediis Prævijs* aſſequi poſſe? Tota quæſtio eſt *Mediis* ad cognoſcendum Deum magis Congruis & Connaturalibus. *Clara* Dei *Viſio* eſt Principale Hominis Objectum; a quo (ut verbis ipſius utar) *ſummè perficitur & in eo ſolo conquieſcit*; imò ad Viſionem Beatificam *Conditus* fuit Homo; Num idcircò oportet ut ejuſdem ſtatim & ante obitum compos ſit, & Beatitudinem aſſequatur? Quam præpoſtera eſt iſta Argumentandi Ratio?

Non rectè infertur oportere ut Homo habeat ſpecialem Facultatem eliciendi Ideam Dei, ex eo quod ad Deum tanquam Principale ſui Objectum fertur.

69. Tertiò, ideò ponit Carteſius ſe habere Ideam Dei, tanquam *primò* quaſi ac *per-ſe-notam*, eò quòd niſi hæc præcognoſcatur, & Deum eſſe *Summè Bonum & Veracem* prius *Certus* ſit, de nullâ aliâ re (præterquam de Mentis ſuæ Exiſtentiâ) Cognitionem Certam atque Evidentem conſequi poſſet; nec ullam Scientiam habere etiam de ullâ Demonſtratione Mathematicâ, at nec quòd Quadratum habeat quatuor latera, licèt hæc Propoſitio ſit *per-ſe-Evidens*, ſeu Identica. Quod ad hoc tandem

Aſſertio illa quòd nulla Certitudo haberi poſſit, ne quidem de Veritatibus Mathematicis, abſque Præcog-

nitione *Ideæ Dei*, eſt perquàm *Ridicula*.

redit, quòd neque *Euclides* nec *Archimedes* potuerint habere Evidentem Certámque Cognitionem de ulla Concluſione Mathematicâ, niſi prius cognoſcant ex *Ideâ Dei*, eum eſſe *Summè Bonum* ac *Veracem*. Quare, cum habere *Ideam Dei*, nihil aliud ſit juxta D. *Le Grand* quàm intelligere ſeu concipere *ſenſum* vocum illarum, viz. [*Ens ſummè Perfectum, Infinitum, Æternum, Omipotens*, &c.] operæ pretium erit conſiderare quid conferát dictorum verborum *Senſus* ſeu *Significatio*, ad Scientiam Mathematicam; aut. (cùm iſtud ſit *Primum Principium* omnibus aliis Scientiis, utpote è cujus Cognitione totius Naturæ Cognitio pendet,) expendendum eſt *quem Influxum* habeat in Concluſiones Euclideas; v. g. quæ Connexio inter *Senſum* horum verborum, & inter Propoſitionem iſtam [*Omne Triangulam habet tres Angulos æquales duobus Rectis.*] Sanè ſi ulla ſit inter illas Connexio, à *Voluntate* (juxta Doctrinam Carteſianam) *facta* eſt Connexio iſta Terminorum ſeu Propoſitionum: nam, neque ab *Intellectu* concipi, neque *Ratione* colligi poteſt. Quare, ineptiſſimum eſt Placitum illud Carteſii, nec aliud Fundamentum habuit, præterquàm quòd in ipſius mentem venerit Methodus iſta Fanatica *Exuendi ſeipſum*, & exiſtimandi omnia eſſe *Falſa*, aut ſaltem *Dubia*, quæcunque Bonitas Naturæ, Intellectualis & Rationalis, à Conditrice Sapientiâ data, ipſi, vel invitâ Voluntate indiderat; ipsúmque coegerat tanquam *vera* agnoſcere. Quam dum abdicare atque exuere conatus eſt, meritò in *Enthuſiaſmum* & opiniones malè ſanas, à ſemet ſeductus, incidere permiſſus eſt.

Nec Rudes Pagani, nec D. *Le Grand*,

70. Quártò, §. 89. expiſcari conatur D. *Le Grand* quid Philoſophi ſapientiores *Dei* nomine intellexerint. Cùm evidentiſſimum ſit, illos,

los, ſicut Rudes nunc dierum Chriſtiani, modò ſub *uno* Attributo, modò ſub *alio*, at ſemper infinitè in ſuo genere Perfecto, *Deum* concepiſſe. At, quid de *Sapientioribus* Paganis hîc loquitur, cùm Theſis ipſius poſtulet ut potiùs probet, quod etiam Paganorum *Rudiſſimi* veram Dei Ideam in ſe habuerint; qui non adeò altùm ſpeculantur aut cogitationem ſuam exporrigunt, ut de aliquo quod *Summè* ſeu *Infinitè* Perfectum ſit vel ſomniârint; vel de *Ente* aliquo *ſummè Perfecto, Infinito, Æterno, Omnipotente*, &c. unquam *audiverint*; aut, ſi forſan audiverint, quid his vocibus ſignificatum venit, *intellexerint*. Imò, mihi compertiſſimum eſt nonnullos, *Philoſophorum* nomine vulgò (ſed immeritò) inſignitos reperiri, intérque illos D. *Le Grand*, qui *veram* de *Æternitate* Notionem ſeu Ideam non habeant, ſed eam penitùs ignorent; & illam conſiſtere in longâ aliquâ *exporrectione Durationis*, cujus una pars eſt *poſt* aliam, modò ferè Tempori noſtro conſimili; ut patet ex diſcurſu ipſius ſuprà notato; ubi evidens eſt ipſum exiſtimâſſe quòd Mundus potuit *priùs* fieri, cùm tamen ante Mundum nihil potuerit eſſe præter ſolum *Deum*, cujus *eſſe* eſt ipſamet *Æternitas*; quæ *Prius Præſens* & *Futurum*, in uno formaliſſimo conceptu includit.

intelligunt Senſum Vocum quibus Attributa Dei exprimuntur; nec proinde habent veram *Ideam Dei*.

71. Quintò, Forſan concedo *Quæſtionem de Deo moveri & intelligi non poſſe niſi Conceptum de Deo habeamus*: At pernego *ubique* vel apud *omnes*, vel *Motam* vel *Intellectam* fuiſſe talem Quæſtionem; nec voces quibus concipitur apud eos in uſu fuiſſe. Certè, niſi Notionibus Summarum in Creatis Perfectionum appingatur Notio [*Infiniti*,] Conceptus ſeu Idea *Dei* non erit. Quoties verò cum Atheis colloquia

Permulti, imò nonnulli Philoſophi, nullam de Senſu vocis [*Infiniti*] notionem habent.

quia habui, qui ubicunque de [*Infinito*] mentio ingeſta eſt, conteſtati ſunt neque ipſis nec cuiquam mortalium, *ullum* Conceptum, Notionem vel Ideam, de [*Infinito*] ineſſe, vel ineſſe poſſe; ſed eſſe eam *meram Vocem* nihil prorſus ſignificantem; donec Ratione Victos, ad *ſenſum* vocis illius admittendum illos perpuliſſem, ut poſteà dicetur. Quare, licèt argutulus videatur D. *Le Grand*, dum ait, *ſive quis affirmet ſive neget* Deum eſſe, habet neceſſariò Notionem ejus de quo affirmat aut negat; tamen Difficultatis punctum non attingit; Nam non de *Exiſtentiâ* Dei ponenda eſt Quæſtio, ſed an talis vox *ullam* prorſus ſignificationem habeat, necne; an ſit *Vox*, & *præterea Nihil*, ſicut Blittri, Bluff, Syndapſus, & hujuſmodi. Quid quòd apud Rude Vulgus multi reperiuntur, qui ex *uſu vocum* judicantes, & cum viris ullo gradu doctis nullum conſortium habentes, non alium de voce illâ ſenſum habent quàm ii qui dicunt *Infinitam* eſſe hominum multitudinem in Theatro, vel *Infinitum* arenarum numerum in littore; vel ut *Carteſius* ipſe (qui hâc in re illis annumerandus eſt) *quo majus cogitari non poteſt*. Quæ omnes locutionum formulæ non niſi *Indeterminatè*, ſeu *in-potentiâ-Infinitum* denotant; cùm tamen omnia Attributa Dei *Actu Infinita* ſint; & ſi ab *hâc Infinitate* deficiant, ad veram *Dei* Conceptum ſeu Ideam neutiquam pertingunt. Unde multùm vereor quòd neque Carteſius, neque Ipſius Sequaces, dum *Philoſophantur* de *Deo*, *veram* de Ipſo *Ideam* habeant.

Carteſiana ſententia adverſatur ſenſui & vet.

72. Sextò, aſſerit §. 90. *Paganos pro Deo Summo, nunquam habuiſſe res imperfectas.* Debuit dicere eos *ſ,mper* habuiſſe Conceptum de Deo quòd ſit *Infinitè Perfectus.* Aliter ſiquidem

dem Veram Dei Ideam non habebunt; nam etiam inter Creaturas aliqua una reperitur quæ *ſummè*, ſeu ſuperlativo gradu, hoc eſt, *præ reliquis omnibus*, ſeu *maximè* omnium inferiorum ſe, perfecta eſt. Quid dicam hîc? Vel credendum D. *Le Grand*, vel Regio Pſalti non habenda eſt fides. Hic ſiquidem ait, Pſal. 95. *Omnes Deos Gentium eſſe Dæmonia*: Dicet, ipſos arbitratos, *aliquid Divini ineſſe* Simulachris; at quam Divinitatem potuerunt exiſtimare *ineſſe Dæmoniis?* Idem Patres Eccleſiæ omnes confertim proclamant: Unde itaque conſtat Carteſianis Paganos non exiſtimâſſe quòd Spiritus iſti maligni revera *Dii* erant, qui Oracula fundebant, mira patrârunt, & aliquo modo Mundi *Rectores* ſeſe oſtentabant? Non me fugit B. *Paulum* dixiſſe Rom. 1. 21. *quòd*, cum Ethnici *Deum cognoviſſent*, tamen non *ſicut Deum glorificaverunt*; at ex eodem verſu conſtat Apoſtolum de his qui *Sapientes* erant locutum, & non de rudi & indoctâ plebe. Sed, quod præcipuum eſt, temeritatis eſt inſignis adverſari ſenſui ac verbis Sanctorum & totius Eccleſiæ in rebus quoquomodo ad Fidem ſpectantibus. Aſſerunt autem hi omnes *Gentes a Falſis Diis ad Cognitionem veri Dei converſos* fuiſſe; cùm tamen Carteſiani acriter contendant, quod Gentes omnes, imò rudiſſima plebecula, jam habuerint *Cognitionem* ſeu Ideam *Veri Dei* mentibus ſuis *Innatam*, eò quòd ad Dei Imaginem & Similitudinem facti ſint; nec, proinde ad *Cognitionem Veri Dei* perduci aut converti potuerunt.

bis SS. Patrum, aſſerentium Paganos eſſe perductos ad *Cognitionem Veri Dei*.

72. Septimô, Mirum eſt D. *Le Grand*, noſtrum, quo Ideam Dei habere poſſimus, modum, inter reliquos quos citat non enumerâſſe, nec

Modus, quo Notio [*Infiniti*] acpro-

Inde Conceptus ſeu Idea Dei, poſſit tum facillimè *acquiri* à *nobis*, tum *aliis* per *Inſtructionem* communicari.

nec mentionem ejus ullam feciſſe, nedum confutâſſe; nempe, per Actus Mentis noſtræ Reflexos, vel *addendo* unam Notionem alteri; quarum ambæ erant familiares ac valdè Communes. Quare, meâ intereſt, rationem ſeu modum iſtum, pauculis mutatis, quo Lectoris refricemus memoriam, repetere. Cognoſcimus nos habere *Notiones*, & quòd *una* harum *non* ſit *alia*. Porrò, omnes Res *Creatæ*, cùm limitatæ ſint, notionem *Limitis*, *Finis*, ſeu *non ultra*, ſuâpte naturâ, idque neceſſariò, nobis ingerunt. Unde fit, ut [*Finiti*] ſeu [*Finis*] Conceptus ubique Menti noſtræ, quando reflectit, occurrit. Quare, cùm facillimum etiam ſit *Negationem* quibuſcunque Notionibus noſtris appingere, ut patet ex innumeris Inſtantiis; conſequitur, nihil facilius eſſe quàm Notionem ſeu Ideam [Infiniti] componere. Quæ quidem Notio ſic compoſita, ex eo quòd *Negatio* Notionem cui affigitur *omnimodè tollat*, ad *Actualem* atque *Omnimodam Infinitatem* pertingit. In quo, quantum ex verbis ipſorum intelligi datur, *Idea* Carteſiana omninò deficit; ut ſuprà notavimus. Ex quo diſcurſu Atheos ad Notionem [*Infiniti*] agnoſcendam atque in Colloquiis noſtris admittendam, vel invitos, adegi. Id verò notandum, D. *Le Grand* jam antè prænoviſſe hanc eſſe ſententiam noſtram, cùm legiſſet eam in Præliminario meo quarto, à §. 31. ad §. 35. Verùm, permulta alia præter hoc inveniet ibi Lector *de Ratione Cognoſcendi* adducta ad aſtruendam ſententiam, hâc in re, noſtram, & Carteſianam evertendam; quæ è re ſuâ prætermittenda eſſe ſciens prudénſque exiſtimavit. Unde *Primus* meritò habendus eſt, qui Solidam iſtam atque Invincibilem confutandi Methodum adinvenit;

nit; omittendi, ſcilicet, omnia quæ refutare ipſi incumbebat; vel potiùs, in iſto Confutandi genere Exemplar quoddam ſeu *Idea* eſt.

74. Omiſſis verò quamplurimis prævaricationis iſtius Inſtantiis, ad quæſtionem illam diu intermiſſam redeundum eſt. Illud autem in primis non licet ſilentio præterire, quòd jam oſtendiſſem totam Cognoſcendi negotium peragi poſſe per Corpuſcula è Corporibus emiſſa, vel reflexione ab aliis rebus abraſa, & per Senſorii poros ad Cognitionis Sedem invecta: quod ſi fieri poſſit, nulla *Idearum Elicientiâ* opus erit. Gradatim incedamus. Num negari poteſt Particulas haſce *ejuſdem* eſſe *Naturæ* cum corporibus unde effluunt? Nequaquam; cum Totius & Partis in quolibet Mixto, teſtante Experientiâ & *Ariſtotele*, eadem ſit Natura. Num negare poteſt hæc Effluvia per pororum canaliculos, vel à ſpiritibus in ipſis Nervis, ad eam Cerebri Partem quæ *Cognitionis Sedes* eſt, pervehi? Quâ ratione? Cum Nervi *Pervii* ſint, & particulæ iſtæ admodùm Exiguæ; necnon Spiritus Animales, in Nervis incluſi, leviſſimo Motu ſeu Ictu excitati, ad dictam Cerebri partem, ubi primò incipiunt, ictu oculi refugere ſint apti. Aſſerit, Medicorum Princeps, *Hippocrates*, *Omnes Corporis partes eſſe permeabiles*; quod de *Humoribus* dictum voluit: Humores autem Montes ſunt ſi ad molicellas illas ſubtiliſſimas conferantur. His poſitis, proximè conſiderandum, qualem Effectum habituræ ſint illîc particulæ iſtæ in dictâ Cerebri parte, omnium quæ in Corpore ſunt, ut par eſt, tenerrimâ, & maximè Paſſivâ? Utique Impreſſionem aliquam facient in illâ; eámque, ut tota Cauſalitatis ratio teſtatur, Cauſæ imprimentis naturæ conſimilem.

Oſtenditur gradatim quo *modo Simplices Conceptus* connaturaliter menti noſtræ indantur; nec opus eſſe præternaturali ac malè coherente Idearum *Elicientiâ*.

milem. Unde *Anima*, quæ *identificatur* cum parte illâ, tanquam *Forma* cum *Materiâ* ſua, quamdiu componunt Unum Ens, non poteſt non recipere eodem momento Impreſſionem illam, & Naturam quam ſecum vehit, tali *modo* qualis Naturæ Cognoſcitivæ, & receptivitati ipſius congruit; quam Impreſſionem, prout pervecta eſt ad Animam, *Notionem* ſeu *Simplicem Apprehenſionem* vocamus. *Abſtractam* illam quidem adhuc, *Inadæquatam* & *Imperfectam*; pro ratione Sensûs Imprimentis, ſeu illuc rectà dirigentis effluvia; donec a pluribus Senſibus particulæ illæ, *multis* ac *variis* modis invecta, *varios*, *multóſque* Inadæquatos Conceptus de Re illâ in Mente gignunt; quas Anima (ſeu Homo) *componit*, ac *Naturam* quandam ab omnibus aliis diſtinctam format ſeu *concipit*; quæ eo gradu ad *Adæquatam* Notionem, magis vel minùs, progreditur accedítque, quantum nobis in hoc ſtatu, & cuilibet, in propriis circumſtantiis poſito, attingere licet. Vides Lector, ex Diſcurſu iſto, omnia tranſigi ac provehi per Cauſas & Effectus: Nullus Cauſalitatis aut ſeriei Rerum *Hiatus* aut *intercapedo*; Nihil *gratis* dictum aut ſuppoſitum, aut Compactam Mundi Texturam, vel Diſcurrendi Ordinem interrumpere: Nec quicquam adſumptum quod rerum Naturis non ſit Congruum. Unde jure optimo conſiderationem aliquam Adverſarii, de eâdem quæſtione tractantis, æquis Lectoribus mereri videbitur. Aliter tamen viſum eſt D. *Le Grand*: Quamplurimas *aliorum* Opiniones, quarum nonnullæ à nemine ſano ſuſtentatæ ſunt, in Enumeratione ſuâ, magnâ cum diligentiâ, recenſet; hanc *noſtram* Sententiam, quæ oculis ipſius objecta erat, & quam *ſolam* refutare

refutare ipſi intumbebat, exactiſſimo neglectu ac ſtudioſiſſimo ſilentio, tanquam aliud agens, præterit ac prætermittit.

75. Hinc patet, cuncta illa quæ in §. 102. uſque ad §. 110. congerit, ad me nihil attinere, ſed aërem verberare: Nullum etenim horum ſolo Senſu attingi aſſero; ſed, *omnia* adjutrice Rationis operâ, & ex Criterio ſibi proprio, vel ex Indiviſibili ac Comparativâ Animæ virtute, ea componente, corrigente atque ad limam quaſi reducente, ſeu ad perfectionem paulatim provehente, haberi poſſe conſtanter profiteor. Quantùm ad Figuras Mathematicas, quas objicit, id ſpecialiùs dicendum, quòd Objectio inde ducta, pro me pugnet: Nam, licèt reverâ, ut ex microſcopiis obſervare licet, Figuræ illæ à perfectâ Circuli aut Trianguli Figurâ deficiant; tamen, cùm Defectus ille à Senſu non attingatur, *veram* proindè Senſus Figurarum illarum, *abſque ullo defectu*, Notionem Menti ingerent; quod ſolum ipſis tribuendum eſt, nec quicquam amplius a Senſibus expectamus.

Hoc evicto, reliqua omnia quæ ad Cognitionem ſpectant, modo Congruo peragi poſſunt, abſque Ideis Elicitis.

76. In §. 111. Aſſerit *Doloris Ideam nihil affine habere cum pravâ illâ partium Diſpoſitione quæ in Corpore fit à Gladio; neque Diſpoſitio illa cum Gladio quo vulnus inflictum eſt.* Mirè ſibi complacet D. *Le Grand*, ſi quicquam adinveniſſe ſibi videtur quod Effectuum à Cauſis Propriis Sequelam atque Ordinem interturbet: Exinde ſiquidem licere ſibi ſperat, *quodlibet*, licèt *Diſpar* prorſus ſit, pro *Causâ*, vel (ut vocat) *Occaſione*, aſſignare; vel, ubi *hæret aqua*, & Argumentum non ſuppetit, ad *Divinam Voluntatem* confugere; quam *gratis* allegat, & propitiam ſibi in anguſtiis conſtituto fore, *vanè præſumit*, non *ſolidè probat*. Reſpondeo itaque,

Inſtantiæ, quibus conatur oſtendere D. *le Grand* Cauſarum ſeriem eſſe interruptam, refutantur. Animam eſſe Tabulam Raſam aſſerunt Carteſiani.

itaque, Figuram *Vulneris*, Figuræ *Gladii*; & *Denſitatem* Gladii, *Diviſioni* tenerioris Corporis Texturæ; & *Læſionem Corporis*, Cognoſcitivæ Naturæ Mentis, quæ cum Corpore identificatur; & eum illa *unum* Ens, ſeu *unum* Hominem conſtituit, valdè *affines* eſſe, prout *Activa* cum *propriis* ſuis *Paſſivis* Affinia eſſe par eſt. Sed de Inſtantiâ iſtâ fuſiùs in *Philoſophiâ Solidâ Aſſertâ*, p. 135, 139. Negat Animam eſſe ex ſe *Tabulam raſam*; & tamen, ſuæ ipſius Doctrinæ oblitus, eandem cum *Ariſtotelæis* ſententiam, inſcius tuetur. Nam dum ponit Animam nullas prorſus Ideas habere ab Ortu, ſeu Infuſione ipſius, ſibi *actu inditas*; ſed tantùm *Facultatem* illas, data Occaſione, *eliciendi*; omninò ponit Animam eſſe omnibus quibuſcunque Ideis *vacuam*, & proinde *Tabulam raſam*. Illud ſiquidem quod, ex ſe, non niſi *Facultatem* habet Ideas *eliciendi*; ſeu, quod perinde eſt, tantùm *Potentiam* eas habendi; *nulla* adhuc ex ſe *actu* habere, ex ipſis Terminis conſtat. Uſque adeò Andabatæ more, in Ignorantiæ tenebris pugnat D. *Le Grand*, ut, loco Adverſarii, ſeipſum feriat ac confodiat.

Concluſio à D. le Grand ntulto labore *D-ducta*, ſemper fuit a nobis *conceſſa*.

77. Ex innumeris hiſce ambagibus & Errorum Mæandris tandem Concluſionem, diu expectatam deducit, nobiſque exhibet; nempe, [*Solius Intellectus eſt Rerum Naturas cognoſcere.*] Ad quod repono; Adeò certum eſſe quòd *Solus* Intellectus, vel *Naturas*, vel *Res*, vel *Modum*, ſeu *Accidens* Rei, vel *Propoſitiones*, vel *Senſum* verborum, vel quicquid ſit aliud cognoſcat, vel cognoſcere poſſit; ut nihil quicquam in rerum naturâ quod Certius ſit reperiatur. At pariter aio per [*Intellectum*] ſignificari *Hominem* ſecundum virtutem ſeu Potentiam intelligendi; cùm *extra Suppoſitum* (cujus omnes

Actiones

Actiones & *Paſſiones* ſunt) neque *Intellectus Humanus* foret; quare, in hoc ſtatu, ſecluſo Corre, ſeu Senſu & Phantaſiâ, nihil omninò nitelligere potuit; cùm abſque Organis Corporis, & Sede Cognitionis in quâ reſidet Phantaſia, ſeu Potentia recipiendi impreſſiones, ope Senſuum, ab Objectis, nullas *Notiones* (nec proinde Cognitiones) habendi capax ſit Anima. Denique pernego Diſtinctionem ipſius ſuperiùs datam de *tribus Mentis Perceptionibus* (in quâ effugium ſibi parare videtur) quas *Senſum*, *Imaginationem* & *Intellectum Purum* nominat. *Objecta* quidem ſecundum aliquem ſe imprimendi *modum* varia eſſe concedo; at nulla intellectio vel *Pura*, vel *Impura* haberi poteſt, niſi cum, Cognitionis Sede affectâ, Mens ipſa pariter ſuo modo afficitur, & *Notiones* in eâ gignuntur: Quæ, quatenus recipiuntur in Mente aliquatenùs *Puræ* ſunt, quia Mens, ſeorſim ſpectata, purè Spiritualis Naturæ eſt; quatenùs ſunt in Senſu vel Imaginatione, prorſus *Nullæ* ſunt. Nolo admittere ut Adverſarius meus vocibus pro libitu perperàm abutatur. Diſtinctiones quæ per Differentias Intrinſecas Genus dividunt, & ſolummodò *Gradus* intra Notionem quæ dividitur, ſeu *plus* vel *minus* de eâ, ſuperaddunt, Claritati inſerviunt: Quod ſi ſecùs, ut hîc, fiat, Quæſtionem Obſcuram reddunt; &, non Logicam Artem, ſed Illogicum Artificium & ſubterfugii calliditatem ſapiunt.

Fundamenta Discursuum D. *Le Grand* in hâc Indicatione ad Propositiones Categoricas redacta.

Enumerandæ, & Confutandæ sunt omnes Opiniones Imaginabiles, licèt à nemine Assertæ; Sententia autem ab Adversario Asserta, quæ sola Confutanda erat, nè quidem Commemoranda est. §. 65.

Homines non habent Facultatem Componendi Notionem seu Sensum vocis [Finitus,] *cum Adverbio* [Non.] §§. 65, 66, 72.

Non est Impium asserere quod Mens nostra posse Creare Deum. §. 66.

Idea à nobis Elicita *est* Creatura Mundi a Deo facta. §. 66.

Illud est Principium cognoscendi alia, & pæne omnia, quod ad Concludendum ea nullum Influxum habet. §. 69.

INDI-

INDICATIO Sexta.

Methodus Carteſii ad Inſaniam ducit; & tum Logicæ Regulis, tum ipſi Carteſianorum Regulæ *adverſatur. Unde* Diſtinctio Rerum *petenda ſit.* Regula *Cognoſcendi Carteſiana* Leſbia *ac Fallax eſt; & ab ipsâ Carteſii Methodo confutata. Unde Carteſius in Methodum ſuam ſeductus eſt. Ad* Voluntatem Divinam, *in ſtatuendâ Regulâ ſuâ refugere, tum Aphiloſophicum eſt, tum gratis dictum. Unde Judicii Veritas atque Evidentia deſumi debeat.* Noſtra *Cognoſcendi Regula Immotis Principiis ſtabilitur. Ejus Comparatio cum Regulâ Carteſianâ; & Character ejuſdem.*

78. TAndem per innumeras futiles opinionis ſuæ *Explicationes, Prævaricationes* frequentiſſimas, Rationum noſtrarum *Omiſſiones*, Contradictorias *Definitiones*; *Diviſiones* per *Extrinſecas* Differentias, Gratuitas *Suppoſitiones*, Falſas Statûs Quæſtionis *Propoſitiones*, & ſententiæ noſtræ *Calumnias*; quæ *Grandianam* Diſcurrendi & Confutandi *Methodum* componunt, ejuſque partes maximè Neceſſariæ, Fundamentales atque Eſſentiales ſunt; ad Celeberrimam illam Carteſianam *Omnis Certitudinis* Methodus *Carteſii* Expenſa.

titudinis Regulam (à §. 112. & deinceps) proponendam & ſtabiliendam perventum eſt; ſcilicet, [*Nihil tanquam Verum admittendum niſi quòd Clarè & Diſtinctè Verum cognovimus. Et, Ut, omne quod Clarè Diſtinctéque cognovimus, Verum eſſe judicemus*: In quibus ſtatuendis ac defendendis incomparabile Carteſii ingenium ſe totum exeruit; quem, claudicantis more, ſequitur D. *Le Grand*. At nobis, quibus per *Terminorum Connexionem* omnia metiri propoſitum eſt, non licet eſſe tam ingenioſos. Modò *Principiis* & Judiciis *Solidis*, & firmiſſimâ *Rationis* Baſi fundatis, Diſcurſus noſtros extruamus, non invidebimus cuiquam *ingenio* ſuo uti. Nam, cùm ipſa *Veritatis* Ratio in *Connexione* iſtâ conſiſtat, nec ullibi niſi in illâ inveniri poſſit; non vanè, ſed certò pernovimus quicquid Regulæ huic adverſatur, vel *Inconnexum* eſt, id neceſſariò *Falſum* eſſe; &, niſi pervideatur conſtétque manifeſtò quod *Termini* Propoſitionis, *quam* mente concipimus aut Vocibus efferimus, ſint *Connexi*, non poſſumus certò affirmare quòd talis Propoſitio Vera ſit. Cæterùm, ut videat D. *Le Grand* me nequaquam moroſum eſſe, utramque ex Propoſitionibus quas attulit, eſſe Veriſſimam concedo; & tamen *Neutram* harum eſſe Certitudinis *Regulam* conſtanter aſſero. De opinionibus Scholaſticorum quas §. 103. enumerat, non me miſceo. Quæſtio eſt, An pro explorato habendum ſit Propoſitiones, quas aſſert, eſſe Veras omnis Certitudinis *Regulas*. Procedit §. 104. narrare unde in Carteſii mentem venerit hanc *Regulam* ſtatuere. Extra Quæſtionem ſaltat; ſequemur tamen; & nè titubemus, juxta notiſſimas Logices Regulas greſſus noſtros dirigemus. Carteſius (inquit) neceſ-

ceſſarium putavit *ab Immotô Veritatis Principio Philoſophiam ſuam ordiri*, Benè fecit modò recto tramite Principii illius Cognitionem proſecutus ſit ; & magis Notis, in Principii illius inveſtigatione, greſſus ſuos direxerit. *Expertus eſt* (inquit) *ſe à Senſibus deceptum fuiſſe.* An *ſemper?* (certè ego oſtendi, *Nunquam*) Nequaquam. Nam dixit ipſemet (Medit. 1.) *Prudentiæ eſſe nunquam illis planè confidere qui vel ſemel nos fefellerunt.* Quod, ſi ad rem iſtam applicemus, ſtolidiſſimum erat. Nam, quis niſi mentis inops ex eo quòd Baculus in aquâ curvus appareat, idcircò dubitandum cenſeat an, in *ullâ aliâ* occaſione, Senſus rectas ac genuinas impreſſiones in cerebrum invehant; atque exinde occaſionem arripiat vocandi in dubium quòd in tali domo aut urbe vivat, tales Notos ac Amicos habeat, imò quòd *ſit.* Quantum à communi Ratione Senſúque aliena ſit iſta Argumentatio non opus erit ulteriùs oſtendere. Pergit, explicando Methodum quam Carteſius ſibi præfixerat ; aítque ipſum *ſupponere nihil eorum quæ vigilans cogitaverat veriora eſſe habenda quàm ſint ſomniorum ludibria.* Quod purum putum *Delirium* fuiſſe jam oſtenſum eſt. Denique, *ſupponit* Carteſius *Rationes quas habuit pro Geometricis Demonſtrationibus falſitatis ſuſpectas eſſe, & rejiciendas, eò quòd nonnulli circa res Geometriæ facillimas errârint.* Nihil nè itaque Bonitatis Nativæ in Hominis Eſſentiâ, à *Deo* conditâ, ineſſe arbitrandum eſt ; ſed *ſupponendum* eam ad *Errorem* ſolummodò fuiſſe Creatam ? Non hîc commemorare libet quàm ſæpè ſibi contradixerit Carteſius in *Methodo* ſuâ ſtatuendâ ac proſequendâ. Forſan meliùs id reſervandum, donec ad Sex Carteſii *Meditationes* (modò

Deus otium dederit) expendendas operam noſtram conferamus: Quibus ineſſe quidem plurimum Ingenii, at nihil prorſus ſani Senſûs aut Artis, oſtendere facillimum eſt. Quid quòd Carteſius non auſus ſit aſſerere quòd de *Primis Principiis* dubitari potuerit, [v. g. *Quod agit, eſt,*] Et, ſi hæc admiſerit tanquam *Vera* ac *Certa*, non opus eſſe potuit tot ac tantis ambagibus uti ut cognoſceret *ſe eſſe*, niſi quòd in animo habuerit *Novum* quiddam atque *Inſolitum* Mundo proferre. Obiter autem noto, oblitum fuiſſe D. *Le Grand*, *Proprium*, hujus *Methodi* Verum inveſtigandi, *Effectum* commemorare; nempe, quòd (ut diſertè refert Author Vitæ ipſius, ipſe etiam Carteſianus), indè Carteſius in *Delirium* ſeu *Enthuſiaſmum* quandam inciderit. Quod ſanè cùm inconteſtabile ſit, non admodùm Amicum fuiſſe D. *Le Grand* Academicis ſuis, dum, eandem Methodum hanc adeò impenſe illis commendando, eos, ut ejuſdem Enthuſiaſmi cum Carteſio ſuo participes eſſe vellent, pro humanitate ſuâ, invitaverit. Sed ad rem ipſam redeamus.

Concluſio Carteſii *Clarior* eſt quàm erant *Præmiſſæ* è quibus eam deduxerat.

79. Ex horum omnium ſuſpectâ fide inde *deductus* eſt ad Primum illud ſuum Philoſophicæ Cognitionis Principium [*Cogito, ergo ſum.*] Seu, quod perinde eſt, hinc *Concluſit* quòd hoc *Primum* omnium ſtatuendum eſſet *Principium*. Videndum modò juxta quas Logices Regulas id fecerit. Notiſſimum eſt Præmiſſas debere notiores eſſe quam ſit *Concluſio*; & ex eo quòd de hiſce omnibus *dubitari* poſſet, *concluſit* hoc Principium eſſe ſtatuendum. Infero: Ergo, *Dubietas* de tribus illis, quæ Evidentiſſima erant toti Humano Generi præter ſeipſum, & non [Cogito, ergo ſum] erat *Principium* omnium *Primum*; cujus illa Dubitabilitas *Antecedeu-*

dens erat; &, è cujus proinde Veritate pendebat quòd istud pro *Primo Principio* habitum fuerit. Porrò, è *quot*, ac pæne innumeris propositionibus *pendebant* discursus ipsius, quibus *probare* contendit hæc tria esse *Dubitabilia*: Quarum Propositionùm Veritas debuit ideircò esse magis Certa ac magis Evidens quàm fuerit quòd *Sensus possint fallere*, *Quòd non cognoscamus nos Vigiles esse*, vel quòd *Geometricæ Demonstrationes illæ* forsan non *fuerint Veræ*. Nam si vel minimum dubitemus quòd ista tria sint Dubitabilia, *Conclusio* illa ex horum omnium dubitabilitate deducta (nempe, quod [*Cogito ergo sum*] pro Primo Principio statuendum sit) forsan falsa erat, nec *Indubitabilis* esse potuit; & sic tota Cartesii Methodus in auras evanuisset.

80. Expendamus jam an [*Cogito ergo sum*,] licèt Verum sit, *Primi* nihilò minùs *Principii* dignitatem mereatur. Primò itaque, quò ultra omnem tergiversationem vel ipsum D. *Le Grand* convincamus, non aliâ quàm Nobilissimâ illâ Sciendi Regulâ, ab Ipsomet positâ, ad istud examinandum utemur [nempe, Nihil pro Vero admittendum nisi quod Clarè & Distinctè cognoscamus.] Aio, itaque, Cartesium non habuisse Claram & Distinctam Cognitionem illius Principii quando ad id pervenit: Ergo, non erat agnoscendum ab illo tanquam *Certum*, aut (saltem primò) *Verum*. Probo Antecedens, quia non habuit tunc Claram Distinctámque Cognitionem seu Ideam *Subjecti* in utrâque ex dictis Propositionibus, viz. [*Ego*] ut patet ex ipsomet Cartesio, verbis proximè sequentibus [*Nondum tamen satis intelligo quisnam sim ego ille qui jam necessariò sum.*] Cùm tamen si Clarè ac Distinctè intellexisset quisnam

Quod [*Cogito, ergo sum*] sit Primum Principium, refellitur ex ipsâ Cartesianorum *Cognoscendi Regulâ*.

nam ſim ille [*Ego*] proculdubio *ſatis* intelle-xiſſet Vocis illius Senſum. Ergo, non potuit habere Claram ſeu Diſtinctam Cognitionem totius illius Propoſitionis; ſicut, qui non clarè & diſtinctè cognoſcit quid ſit *Homo*, non poteſt clarè & diſtinctè intelligere hanc Propoſitionem [*Homo eſt Animal.* Ergo, juxta Regulam Sciendi, a D. *Le Grand*, hîc poſitam, non debuit agnoſcere Carteſius quòd utravis ex dictis propoſitionibus [*Ego cogito,*] vel [*Ego ſum*] ſit Certa aut Vera; nec proinde [*Cogito ergo ſum*] ipſi *Primum Principium* eſſe potuit. Nam, *hujuſmodi* Principia (ſi qua alia) *Clariſſimè* ac *Diſtinctiſſimè* cognoſci debent.

Dilemmate Inextricabili utrinque conſtringitur Carteſius.

81. Porrò, licèt evidentiſſimè ſequatur me *eſſe*, ex Suppoſitione quòd *revera Cogitem*; at, unde certò & indubitanter cognoſco quòd *Cogitem?* Unde conſtat extra omne Dubium eſſe, quòd non *ſomniem* me cogitare, cum *non Cogito?* Certè *Somniare* ſolemus nos Diſcurrere, Judicare, &c. quæ inter Cogitationes meritò numerantur; & tamen *Somnia* iſta non ſunt *Cogitationes*; nam *Bruta ſomniant*, quæ tamen *Cogitare* negat. Fortiùs premit hæc Objectio, quia una ex tribus, quas hîc affert, Rationibus, quæ coegêrunt Carteſium ad hoc Primum Cognitionis Principium confugere, erat iſta; ſcilicèt, quòd in Dubium vocari poſſit utrùm *ſomniemus* an *vigilemus*. Quare, niſi *extra dubium* poſitum ſit quòd *revera* ac *Vigil* Carteſius *Cogitavit*; etiam *Dubium* ipſi debet an Ipſemet *ſit*, necne; cùm Certitudo ac Veritas *Conſequentis* non poſſit *major* eſſe, quam ſit Certitudo ac Veritas *Antecedentis* ſeu Præmiſſarum è quâ altera pendet, & à quâ tum Certitudinem tum Veritatem ſuam mutuam habet. Unde

de Carteſiani hoc ancipiti Dilemmate utrinque conſtringuntur; Vel *extra dubium* eſt nos certò internoſcere utrum *ſomniemus* an *vigilemus*; & tunc ratio, ob quam Carteſius ad hoc Primum Principium ſtatuendum coactus fuerit, falſa erat, & Diſcurſus ipſius futilis & Incoherens: Vel, ſi *dubium* ſit utrùm *ſomniamus* an *Vigiles ſumus*, forſan iſtud Primum Carteſii Principium erat *merum Somnium*: & ſi *merum* Somnium fuerit, non eſt certum ipſum *Cogitâſſe*; cùm (ut dictum eſt) notum ſit Bruta *ſomniare*, quæ tamen *non Cogitant*.

Contra Logicam peccat Carteſius dum ſtatuit Primum ſuum Principium.

82. Denique, nè plura impræſentiarum addam, quid opus eſt inferre, Ergo [*Ego ſum,*] cum Antecedens [*Ego Cogito*] vel (ſi propoſitio illa *explicitè* ponatur) *Ego ſum Cogitans*, jam includat [*Ego ſum*—] in ſe? Quare, cùm Claram ac Diſtinctam Cognitionem *Antecedentis* habere debeamus, priuſquam valeamus Claram ac Diſtinctam Cognitionem habere *Conſequentis*; ſequitur Carteſium Claram ac Diſtinctam Cognitionem *jam* habuiſſe hujus Propoſitionis [*Ego ſum*] in Antecedente incluſæ *antequam* eam in Conſequente *intulit* vel *deduxit*. Quare, nullâ *Illatione* opus erat; Imò frivolum eſt, & contra Logices Artem, talem Concluſionem omninò inferre: Cùm Logica doceat *oportere ut* Præmiſſæ *magis notæ* ſint, quàm ſit *Concluſio* ex iis *deducta*. Unde notior debuit eſſe [*Ego ſum*] in Præmiſſâ iſtâ [*Ego ſum Cogitans,*] quam ſit [*Ego ſum*] in Concluſione; quod perquàm ridiculum eſt. De his quæ ſunt *Certa*, *Probabilia*, aut *Dubia*, in *Methodo* meâ Lib. 3. Lect. 9. & in *Solidâ Philoſophâ Aſſertâ*, Reflexione ultimâ, accuratè jam tractatum eſt.

83. Per-

Ratio unde judicat D. le Grand Res eſſe Diſtinctas, Frivola eſt; & Demonſtrationibus Evidentiſſimis Confutata.

83. Pergit, & §. 117. oſtendere vult *Diſtinctionem Rerum exinde petendam quòd quicquid clarè ac diſtinctè percipio eſt Verum.* Cujus contrarium facilè demonſtrari poteſt. Primò, ex Definitione ipſius *Rei* ſeu *Entis*. Nam *Ens* ſeu *Res* in communi, (loquendo de Entibus *Creatis*) eſt [*Id quod poteſt Exiſtere,*] ſeu [*Id quod eſt capax Exiſtentiæ:*] Ergo, cùm ratio Potentiæ deſumitur ab ordine ad *Actum ſuum*, ratio *Diſtinctarum Rerum* deſumitur ab ordine ad *Diverſas Exiſtentias*; unde *Diſtinctæ Res* tunc judicandæ ſunt, quando *Diſtinctarum Exiſtentiarum* Capaces ſunt; ex eo, ſcilicet, quòd Una abſque Alterâ, ſeu abſque ope alterius, hoc eſt, *ſe ſolâ*, Exiſtere poſſit; v. g. in ſacculo Tritici unumquodque Granum, teſtante *Experientiâ* ac *Ratione* Senſuum ope informatâ, *ſe ſolo* exiſtere poteſt, ſine ope alterius Grani; unde Demonſtrativè concluditur unumquodque horum eſſe *Diſtinctum Ens*, ſeu *Diſtinctam Rem*; idque Demonſtratione, ex ipsâ intrinſecâ rei de quâ agitur *Eſſentiâ*, ſeu *Definitione* deductâ. 2. Demonſtratur ex eo quòd *Res* ipſæ ſint *Objecta* Intellectûs: & ſic procedo. *Diſtinctio Rei à Re*, conſtituit *Individualitatem*, ſeu Individualem Eſſentiam earum: Sed Eſſentiæ Rerum Individualium ſunt *Objecta* Potentiæ quando de illis cogitamus, & conſequenter *ſpecificant* illam, imò *individuant* Actus ipſius: Ergo, *præſupponuntur* Potentiæ, neque petenda eſt Individualis Diſtinctio earum ab ipſa *Potentia*, ſed ratio Diſtinctionis *Potentiæ* & omnium *Actuum* ipſius petenda eſt ab *Illis*. Quare, *Res* ipſæ debent *eſſe* Diſtinctæ antequam *cognoſcantur* eſſe Diſtinctæ, & non vice versâ. Unde Axiomata illa Logica [*Potentiæ ſpecificantur ab Objectis. Potentiæ habent Realem Rela-*

Relationem ad Objecta, & non vicissim;] Habent siquidem Cognitiones nostræ *Dependentiam* ab *Objectis*; ex eo quòd Objecta *informent* & *determinent* Indifferentiam Potentiæ quò eliciat *hos* vel *illos* Actus: *Objecta* autem non habent Relationem *Realem* ad *Potentiam*, sed *Verbalem* tantum; seu (ut Scholæ loquuntur) Relationem *de dici*; eò quòd Objectum sit *Id quod est*, (id est, *Hoc* vel *Illud*, seu *Distinctum* ab aliis) *independenter* à Potentiâ; nec quicquam Intrinsecum accedit vel decedit ei ex eo quòd *cognoscatur*. Quare, *Hysteros-Proteros* est istc Cartesianorum *Cognoscendi modus*; *invertit* ordinem Cognoscendi; Currum ante Equos statuit, & notissimis Logicæ Artis Regulis contradicit. Videatur *Methodus* mea, Lib. 1. Lect. 7. §§. 9, 10. Hinc sequitur Animam & Corpus non esse *duo Entia* in hoc statu, seu *duas Res*, sed omninò *Unam Rem*; quia neutra eorum, *hîc*, *separatim existat*; cùm sint Partes *Entis* ut *Ens*, seu *Hominis* ut *Homo* est; sed, *Unus Homo*, qui est *Ens Corporeo-Spirituale*, est id quod *se solo* existere potest; ut in Metaphysicis demonstrabitur.

84. Destruit D. *Le Grand*, Thesin quam §. 117. posuerat dum eandem astruere conatur, quando ait; *Scimus omnia quæ clarè distinctèque cognoscimus, posse eo modo a Deo fieri quo ea percipimus.* Obiter id noto quòd D. *Le Grand* videatur suam Claram ac Distinctam Perceptionem non solùm *Regulam* constituere nobis *Cognoscendi*, sed etiam Deo *Agendi*. At quàm perperàm & inepte? Exemplum dabo. Clarè & Distinctè percipimus significationem vocum istarum [*Actus*] & [*Potentia*,] quæ sunt Partes Entis ut Ens est; uti Metaphysicis notissimum est. Num idcircò existimat *Poten-*

Imperitè assignat Deo D. *Le Grand*, quid possit facere.

Potentiam absque omni *Actu* fieri posse aut Existere, cùm solius *Actûs* sit Distinguere seu Determinare; *Potentia* autem, *ex se solâ*, neque est *Hoc* neque *Illud*, sed est Indifferens ad omnia Particularia, & in Communi hæret. Et quis unquam dixit non contradictorium esse ut *Equus* vel *Homo* in Communi, vel qui non sit vel *Hic* vel *Ille*, fieri possit. Porrò, cùm *Hæ* sint *Partes Entis* formaliter ut *Ens est*, & *Pars* non sit *Totum*, neutra earum est *Ens*. Quare, cùm *Ens* seu *Res* sit *Id quod est Capax existendi*, neutra earum, per se loquendo, *potest fieri* vel *esse*. Hoc manifestius erit altero exemplo. Conceptus *Essentiæ* potest Clarè ac Distinctè cognosci absque *Existentiâ* in Natura. Num idcircò dicet D. *Le Grand*, Essentiam posse fieri a Deo absque *Existentiâ*? Nonne videt quàm Contradictorium sit? Nam si *Essentia* fiat *sine Existentiâ*, & [*fieri*] sit [accipere *Esse*] tunc Aliquid existet absque Existentiâ; seu simul *existet* & *non existet*. Et, si *Existentia* existat *absque Essentiâ*, talis *Existentia* habebit in se totam rationem Existentiæ absque restrictione ad hanc vel illam Naturam, ac proinde *fieret* ac *esset*, *DEUS*. Adeò *Lesbiæ* sunt Cartesianorum *Regulæ*, adeò Sabulosæ, & super suo *cognoscendi modo*, non *Rebus* ipsis Extructæ; & tamen super istiusmodi Regulis maximè Ridiculis *Veritatem* omnem extruendam volunt.

Maximè *Fallacem* esse Cartesianorum *Regulam.*

85. Quid quòd vel juxta Cartesianos ipsos hæc Regula fallax est. Nam, unde *Certi* sunt (debent sanè esse *Certissimi*, cùm hanc esse *unicam* Cognoscendi Regulam afferunt) se non *putare* seu *opinari* tantùm se *clarè* & *distinctè* cognoscere, cùm tamen non *sic cognoscant*? Nil notius quàm quòd Phrenetici, Splenetici, atrâbile

bile laborantes, Fanatici & Enthuſiaſmo correpti habere ſibi videantur Repræſentationes adeò *Claras* & *Diſtinctas* de Rebus quæ Falſiſſimæ ſunt, ut vel juratò aſſerant rem ita eſſe, prout ipſis videtur. Novi fœminam quandam Devotioni deditiſſimam, qui mihi narravit Chriſtum Dominum ſibi frequenter inter orandum apparuiſſe, & ſermones interlocutorios habuiſſe ipſos ſecum invicem: Imò Prædictionibus de Filio ſuo, in exterâ natione tunc verſante, uſque adeò credidit, ut ſalutem Animæ Æternam oppignerare non dubitâſſet, eas eſſe veriſſimas, atque Eventu comprobandas; neque Rationibur ullis flecti potuit aut ab omnimodâ fide iis præſtandâ abduci; adeò vivæ ac vegetæ, adeò *Claræ* ac *Diſtinctæ* erant cogitationes illæ, & menti ipſius penitiſſimè infixæ: Et tamen erat, cætera, mulier Pia, Prudens, neque ullis aliis Deliriis aſſueta. Quas tamen Revelationes cùm poſtea, ex Filii morte, Falſas eſſe Illuſiones Res ipſa comprobâſſet, in Deſperationem pænè incidit. Quid narrem de *Dentio* quodam, Cive Londinenſi, cui firmiter perſuaſum eſt Naſum ſuum ad objectum uſque Parietem, licèt longè diſtantem protenſum eſſe: licèt in aliis quibuſcunque rebus adeò mente ſanus erat, ut vix quiſquam alius in negotiis tractandis prudentior, vel in converſando cum Notis & Amicis magis liber ab omni Delirii aut Affectationis ſpecie, repertus fuerit. Innumera ſunt hujuſmodi Exempla, imò longè plura, & explicatu difficiliora quàm D. *Le Grand* contra Fidem Senſibus exhibendam accumulavit; uti videre eſt in Libro ſatis magno, *Burtoni* noſtratis *De Melancholiâ* inſcripto, aliiſque ubi de hujuſmodi Phantaſiæ Deliriis narratum eſt. Quid quòd nullus ſit

in

in iſtiuſmodi hominibus locus Præcipitationis *ex Voluntatis propenſione*, quam §. 123. aſſignat pro causâ quare *hæc Regula nonnunquam decipit*, & facit *nos proclives ad credendum quòd aliquid clarè & diſtinctè concipimus*; ſed omnes ſinceriſſimi ſint, & credunt ex animo omnia iſta Veriſſima eſſe; licèt utplurimùm magis ipſis *obſint* quam emolumento ſint res iſtæ in quibus ſic hallucinantur.

Carteſiani tenentur ſuam Cognoſcendi Regulam tanquam Fallacem abdicare; vel agnoſcere *Methodum* Carteſii ad *Primum* ſuum *Principium* ſtabiliendum fuiſſe Falſam & Ridiculam.

86. Miror quid reſponſuri ſint Carteſiani ad præſtigias iſtas pænè Infinitas; quæ ad vivum depictæ ſunt in Delirantium iſtorum Phantaſiâ, & adeò *Clarè & Diſtinctè* in mente eorum imprimi videntur, ut citiùs intelligendi Facultatem ipſis adimere valeamus, quàm Rationibus Evidentiſſimis Judicium, quod mentibus eorum altè radicatum eſt, vel leviſſimâ dubitatione concutere; vel Aſſenſum quòd Errores iſti ridiculi *veriſſimi* ſint ex eorum animis evellere. Recordentur Methodum Carteſii ad inveſtigandam veritatem unicè in hoc poſitam eſſe, ut cuncta de quibus *ullo modo dubitari* poteſt *Falſa* eſſe reputemus, vel ſaltem de iis *Dubitemus*. Hinc dubitavit, & ſeponere conatus eſt ut *Falſa*, quæcunque a *Senſibus* hauſerat; An *Vigil* eſſet an *Somniârit*; An *Demonſtrationes* Mathematicæ fuerint *Veræ*; imò, An *Quadratum habuerit quatuor latera*; quæ eſt Propoſitio *Identica*, & *ex-ſe-Evidens*. Præterea, D. *Le Grand* objecit contra Senſuum fidem, quod *Baculus in aquâ appareat curvus*, quòd *Fœtericis* omnia videantur Flava, & nonnulla hujuſmodi; & exiſtimavit ea eſſe permagni momenti, ad omnem Senſibus Fidem abrogandam; quæ tamen Quiſquiliæ ſunt ſi ad Multitudinem, Pondus ac Frequentiam Errorum qui originem habuerunt in rot hominibus

nibus ex Regulâ illâ [*Omne illud est verum quod clarè & distinctè percipio.*] Quam Regulam nemini dubium est secutos fuisse Deliros illos reliquósque qui sanioris mentis erant; atque existimâsse eos se *clarè* ac *distinctè percipere* rem ita esse prout illi judicârunt. Imò vix quisquam Philosophorum, modò valdè ingeniosi erant, & multæ ac frequenti Reflexioni diditi, quin licèt sententias *Contradictorias* sustinuerint, existimarent se clarè ac distinctè percipere opiniones quibus mordicùs inhærebant veras esse. Non dubitat D. *Le Grand* (nisi a Regulâ quam ipsemet hîc proposuit, prævaricetur) se *clarè* ac *distinctè* percipere doctrinas istas quas hîc sustentat: Ego, contrà, non solùm existimo, sed pro explorato habeo, (nisi *Connexioni Terminorum*, imò non rarò Identicis Propositionibus abrenunciare velim,) me *clarè ac distinctè cognoscere* quod nihil sani aut solidi reperiatur in doctrinâ Cartesianâ, modò illam is rectè exhibuerit; sed, quòd Principia quibus fundantur Discursus ipsius sint *Falsa* ac planè *Nulla*; & quòd Argumenta qualia qualia quæ ipse adduxit, Futilissima sint, & nihil prorsus concludentia. Hæc cùm ita sint, quæro a Cartesianis, imò iterum iterúmque postulo, ut rationem aliquam Solidam proferant, quare ista etiam *Cognoscendi Regula*, quæ omnes pænè mortales qui ei fidunt, in Errorem seduxit, non meritò collocanda sit inter ea de quibus *dubitari* possit; vel cur ista, pari, imò longè meliori, jure, tanquam *Falsa* seponenda non sit, æquè ac cætera omnia ab ipso enumerata & *abdicata*; quorum Veritas, si judicio Humani Generis standum sit, *millies plus* Evidentiæ ac Certitudinis habere videntur. Saltem unde Cartesianis constat se non *somniare*, quando

res

res aliqua *clarè* & *diſtinctè* ipſis repræſentatur; cùm nihil unquam in Vigiliâ magis *clarè* ac *vividè* ſeu *Diſtinctè* nobis (nonnunquam ſaltem) appareat quàm inter ſomniandum; nec de quo minùs, tunc temporis *Dubitare* poſſimus. Neque Carteſius ipſe hoc negare potuit; aliter ſiquidem faciſſime ſe à difficultate illâ extricare licuit, allegando quòd in Somnio non *clarè* & *diſtinctè* percipiamus. Nec ſufficit hìc dicere, ſe jam cognoſcere Deum non ſolùm eſſe *Summè Potentem*, ſed etiam *Summè Bonum* ac *Veracem*. Nam utrúmque horum utplurimùm tenetur ab his, qui ſic delirant, vel in ſpeculationibus ſuis ſibi invicem contradicunt; & tamen, licèt *clarè* ac *diſtinctè*, uti ipſis videtur, *percipientes*, miſerè hallucinantur. Quare, juxta Carteſianam Veritatis indagandæ Methodum, nequaquam ponenda eſt *Regula* iſta, veluti *Unica* Cognoſcendi Norma; ſed, tanquam *Dubia*, repudianda, abolenda, ac pro *Falſâ* habenda eſt.

Carteſiani non poſſunt ſatisfacere aliis ſe Claram & Diſtinctam Cognitionem habere.

87. Cæterùm, eſto quòd D. *Le Grand* Claram ac Diſtinctam Cognitionem habuerit de cunctis illis Ineptiis, quas in Præfatione & Diſſertatione ſuâ effutiit; quod ſi aſſerat, nullum profectò Argumentum validius ad Regulam iſtam confutandam excogitari poterit; &, niſi hoc aſſerat, ſe toto illo tempore a Regulâ ſuâ deviâſſe, nec proinde quicquam *Veri* dixiſſe, fatendum eſt *ipſimet*. Eſto, quòd Clarè & Diſtinctè cognoverit, quòd *Prima Principia* (ſeu *Propoſitiones Idonticæ*) quibus ſæpenumerò ſe oppoſuit, ſint *Falſa*. Eſto, quòd ex *Converſione Mentis ſuæ ad Deum*, Revelationes Divinas Claras & Diſtinctas habuerit *Malbranchius*, quòd Doctrina Carteſiana *Veriſſima* ſit; ac proinde, ex Altiſſimâ omnium Causâ conſtare

ſtare ipſi, quòd quotcunque Demonſtrationes ad Confutationem ejus adductæ fuerint, eo ipſo, eas omnes, utpote cælitùs inſpiratæ doctrinæ oppoſitas, eſſe *Falſiſſimas*. His, inquam, conceſſis, adhuc tamen inquirendum reſtat, quo pacto *innoteſcere* poſſit *Alii*, ipſos *reverâ* iſtam *Claram ac Diſtinctam Perceptionem*, indéque Veram Cognitionem ſeu *Scientiam* habere. Nimis Fanaticum eſſet dicere quòd niſi *Deus* ſuis Clarè & Diſtinctè Cognoſcendi inſtructi ſimus; niſi agnoſcamus Deum pro Beneplacito ſuo *annectere* particulares Ideas quibuſcunque motibus in Nervos; & *Aſſenſum* Cognitioni; & niſi ipſimet etiam *Voluntatem* habeamus *Decernentem* ſeu *Judicantem* quòd Ideæ ſeu Termini Propoſitionum ſint *Connectendi* licèt forſàn hoc non videat Intellectus; niſi, inquam, nos *Deo* aſſentiendi cunctis iſtis ineptiis prædíti ſimus, fore ut in profundo ignorantiæ barathro, ubi nè minimus quidem Veritatis radius diluceſcit, ſed ſpiſſiſſimæ Falſitatis Tenebræ, & *ſempiternus* Errorum *horror* inhabitant, æternùm demergi nos oporteat; Hoc, inquam, nimis Durum eſſet verbum: Quare, potiùs crediderim D. *Le Grand* eſſe dicturum Carteſianos Claram iſtam ac Diſtinctum Perceptionem, quam habent, *Alii* manifeſtaturos Locutione Humanâ ſeu *Verbi*, Senſum in ſe, tanquam Signis, claudentibus. At *quibus* aut *qualibus* Verbis? *Connexis* an *Inconnexis*? Nam vel *unum* vel *alterum* Verba illa eſſe omninò neceſſe eſt. Si dicant, *Inconnexis*; Futilitatem meram profitentur, cunctis Philoſophis meritò abhominandam. Sin *Connexis*; tunc jacienda ſunt ipſis talia Doctrinæ ſuæ *Principia Prima*, quorum Termini ſunt ex-ſe-Connexi; ſeu *ex-ſeſe*, hoc eſt, ex vi termi-

minorum ipſorum, *Evidentiâ*, nec à quoquam ſanæ mentis negari poſſunt; necnon talis Conſecutio ſeu Sequela, ex Connexione duorum Terminorum cum Tertio, ſtatuenda eſt, ut Concluſionem inde ſequi neceſſe ſit. Saltem debent in ſe recipere quòd ad hanc Evidentiam, diſcurſus ipſorum, in præcipuis doctrinæ ſuæ Theſibus, datâ occaſione ſint reducturi: Quod neque *factitârunt* unquam, neque integrum Cauſæ ſuæ ducunt *profiteri* ſe facturos: imò à tali Connexione quàm maximè refugiunt ac abhorrent. Cujus loco, Diſcurſus blandulos, levidenſes, vel (ut D. *Le Grand* in Dedicatoriâ ſuâ ait) *cum quædam Lepore conſentientes*, Lectoribus ſuis obtrudunt; & *Rationum* Defectum *Explicationibus* ſupplent. Hujus luculentum (ut jam dixi, & repetendum cenſui) Exemplum exhibuit ipſemet *Carteſius* in *Sex* illis *Meditationibus* celeberrimis; quas nonnulli, in dedecus Supremæ illius Scientiæ, *Metaphyſica* ipſius nimis catachreſticè nominârunt. Quas ſi expendere ac cribrare vellem, oſtendere non dubitem, quòd neque ullo Firmo Principio fundentur; neque Conſequentiæ *Immediatæ* (quales ſi non ſint, *nullæ* ſunt) ex Principiis ſeu Præmiſſis Veris *deductæ*; neque ullæ Artis Logicæ ullibi Regulæ obſervatæ: ſed horum vice, Narrationes ſubleſtæ de Cogitationum ipſius quaſi *Itinere*; non iis paſſibus quos vel Ars vel Natura dirigit, ſed quocunque impetus *celeris motûs intellectûs*, Ingenii, ipſum rapuit. Unde, ſi ad vias tritas veræ Scientiæ comparetur, *Lepida*, vel (ut vocant) *Romantica* eſt Philoſophia ibi tradita; licèt quandam Connexionis umbram ſimulet, qualis in Declamationibus Oratoriis, vel in Paradoxis probandis uſurpari ſolet. Nec quid-

quam

quam ibi repertum est quod Naturam sapiat, vel Res ipsas pro stabili Fundamento habeat. Unde, nequaquam tanquam Fons Luminis, *Sol*, lucem aliquam constantem nobis impertit; sed, veluti *Meteorum*, imperfectè Mixtum, & in Aëre Phantasiæ ingeniosissimæ suspensum, hominum oculos insolito fulgore perstringit, & Novitate perculsos in admirationem rapit. Sed ut ad *Regulam* Cognoscendi redeamus.

88. Miratur D. *Le Grand* §. 113. quòd *Inter tot, qui omnibus sæculis floruêre Philosophos, nullus ante Cartesium de hâc Regulâ cogitaverit.* Certè quod is *Laudi* ducit Cartesio suo, maximo eidem Præjudicio, à quovis justo rerum æstimatore verti debuit. Nam, utcunque verum sit sequentes Philosophos (*Senescente* ac *semper aliquid discente* Mundo) permulta scivisse, quæ Prædecessores suos, utpote natu Juniores, ignorârunt; indéque ad inventa ipsorum amplificanda, plurima contulisse; tamen, ut nullus Philosophorum, ante Cartesium, *Veram Cognoscendi Regulam*, sine quâ nè quidem ad minimum Scientiæ gradum perveniri potest, *noverit*, imò nec de illâ (ut ait) *cogitaverit*; ingentem profectò suspicionem ingerit, *Regulam* quam statuit, Humani Intellectûs Genio nequaquam esse conformem, sed alienam à Naturâ Rationali, ac proinde eam esse *Spuriam* & *Adulterinam*. Dicam itaque ingenuè unde, meo quidem Judicio, acciderit ut Magnus ille Cartesius in Regulâ istâ statuendâ adeò *Singularis* fuerit. Erat certè Vir ille (quod maxima Laus est) Veritatis amantissimus; &, cùm tædium ceperat eum Dissidiorum in Scholis, ubi vix quicquam *Decisum* ac *Conclusum* cernebat, sed permultas quæstiones

Unde accidit quòd ingeniosissimus Vir, *Renatus Cartesius*, in Methodum istam Absurdissimam seductus sit.

litibus nullum finem habituris uſque agitari; pro admirabili quo pollebat, & tandem fidebat, Ingenio, quidlibet aggredi auſo, tentavit aliam certiorem Methodum invenire, quò tum ſibimet ſatisfaceret tum benefaceret aliis. Hactenus *Carteſius* Herois inſtar ſe geſſit, & ſummis omninò laudibus concelebrandus eſt. Antequam Philoſophica evulgavit, nonnulla Præclari ſui Ingenii ſpecimina edidit; quæ magnum de futuris ipſius Elumbrationibus ſpem concitabant. Accidit autem (certè Rei Philoſophicæ nimis infeliciter) quod fuerit temperamento valdè *Melancholicus*, ſubtriſtis & cogitabundus; & *Introverſioni* ad ea quæ in *Phantaſiâ* ac *Mente* ſuâ invênit addictiſſimus, necnon cogitationibus quas conceperat altè in animo *defigendis* ſupra modum proclivis. Unde provênit quòd ad *Res* in Naturâ, ſeu *extra mentem*, parùm Attentus eſſet. Animadvertebat Veritatem Formalem *intra* Intellectum, & non alibi, inveniri; unde deduxiſſe videtur, *Originem* quoque ſeu *Fundamentum* Veritatis non niſi à Mente, iiſque quæ illi inſunt, petendam eſſe. Hinc ad *Idearum* doctrinam delapſus eſt; quas non a *Rebus* quas condidit Divina Sapientia *acceptas*, ſed à Mente ſuâ *Elicita*, exiſtimavit. Has, tanquam Judiciorum ac Diſcurſuum Elementa poſuit, & totius Doctrinæ ſuæ Schèma iis ſuperſtruxit; compoſuit eas Ordine quodam, & *Explicationibus* ingenioſiſſimis eas contexuit, concinnavit ac defendit. Ex iſtâ Idearum doctrinâ profluxit prima errandi Origo; Quam Opinionem fovebat, eadem quæ illas pepererat, *Melancholia Nativa*; cujus eſt, quæcunque imaginati ſumus in Mente *defigere*, & quaſi *radicare*. At nec ſatis novi an depoſuerat Regulam illam, ſive a ſe-

met

met conceptam, ſive a Magiſtro hauſtam, (ut narratur in vitâ ipſius Anglicè verſâ, pag. 11.) quæ, olim imbibita, menti ipſius inſederat; nempe [*Firmum ac Immobilem eſſe in Actionibus ſuis; & adhærere Opinionibus iis, licèt maximè Dubiæ erant, ubi ſemel decreviſſet eas ſequi, eâdem conſtantiâ ac ſi eſſent Certiſſimæ:* Quâ nihil *Scientiæ* comparandæ ac *ſtabiliendæ* magis Adverſum atque Inimicum vel fingi poteſt, Quod ſanè non aliunde quàm a *Fixione* Mentis à Melancholiâ profectâ, provenire potuit; oſtendítque Genium ipſius fuiſſe non tam à *Ratione* quàm à *Voluntate* regi proclivem. Unde profluxiſſe exiſtimo quòd tribuerit *Voluntati* (modò fides habeatur D. *Le Grand*) *decernere* de *Connexione* & *Inconnexione* Idearum, hoc eſt, de Propoſitionum Veritate ac Falſitate; necnon, quòd ad *Voluntatem* ac *Beneplacitum* confugerit Divinum, potiùs quàm ad ejuſdem *Sapientiam*, propriam Rationis Humanæ Informatricem. Porrò, cùm fuerit Carteſius in Mathematicis valdè peritus, Novam Naturam, Novúmque, ad inſtar *Columbi*, Mundum, primus inveniſſe ac detexiſſe ſibi viſus eſt; non variis Naturis, ſed Figuris ac Sitibus Mathematicis contextum ac fabricatum. Vix arbitror eum Ariſtotæleam Philoſophiam in ipſius libris evoluiſſe, ſaltem non rectè penetrâſſe; ſed conceptus ſuos de Doctrinâ Peripateticâ a Scholaſticorum Modernorum interpretationibus accepiſſe, iiſque ſæpiſſimè longè a Mente Stagyritæ aberrantibus. Malè contigit ut vix quicquam in Metaphyſicis, parùm in Logicis verſatus fuerit; quorum prior Firmitatem atque Evidentiam Judicio tribuit; poſterior cohibet & intra cancellos continet Phantaſiam, nè in malè fundatas opiniones

evagetur. Plurimùm autem contulit doctrinæ ipsius, quòd Mundo satisfactionis indigo, ac Scholas pertæso, & ad Certitudinem anhelanti supervènit: Unde non mirum quòd quamplurimis viris ingeniosis, sic dispositis ad Novitatem verisimilem amplectendam, acceptatissimus fuerit. Verùm, cùm impossibile sit ut opificium, super Naturæ Artisque subtemine non contextum, sibi firmiter constaret, *Hypotheses* loco *Principiorum* substituere coactus est; imò nonnullis *gratuitò* dictis inter discurrendum utendum ipsi erat, quò aliquam Cohærentiæ Apparentiam simularet. Verbo, Philosophiæ Aristotelicæ in omnibus ferè se opposuit, perinde ac si Antipodes sibi invicem nati fuissent. Verùm, dum impingebat rudiùs in Solidissima ac Firmissima Stagyritæ Principia, metuendum est (quicquid D. *Le Grand* hic, p. 31. ex Seneca, ut prætendit, vaticinatur) nè Cartesiana Hypothesis in frusta dissiliat, & in rudera malè sibi hærentia comminuatur.

De Origine Claræ & Distinctæ Cognitionis juxta D. *Le Grand.*

89. Properamus ad finem, quem propè adesse mihi gratulor, num Quisquilias nullâ Ratione, Principis nullis fultas confutando jam nimis defessus sum. *Ex Dictis* (inquit §. 126.) *manifestum est, clarè & distinctè intellectui nos non posse non suffragari.* Nihil omninò ex *Dictis* ipsius manifestum est, cùm ex *Probatis* nostris Evidens sit *Principia* ipsius quæ debebant esse *Evidentia*, sint *Obscura*, vel etiam *Contradictoria & Falsa*. Imò, nihil manifestum esse *potest* nisi Connexione Terminorum constet, à quâ *Dicta* ipsius penitùs abhorrere jam ostensum est. Verùm, hæc videtur esse *Conclusio* quam, ex *Dictis* ab ipso hactenùs, deductam opinatur. At, quid opus est *Dicta* sua allegare

ad

ad illud probandum? cùm ex Communissimâ Humani Generis Ratione & Primis Intellectûs Principiis manifestum sit, quòd, si Clarè ac Distinctè videam Terminos in Propositione aliquâ esse Connexos, non solùm me *non posse* refragari, sed *cogi* plane ad Assensum, vel invitâ Voluntate, præstandum. Secundò ait, [*hanc Claram & Distinctam Perceptionem non à nobis proficisci, seu nos illius Authores non esse.*] Quòd non procedat seu proficiscatur à nobis *Originaliter*, sed à Deo, omnis boni Authore, & supremâ Primâque omnium Effectuum Causâ; nemo Christianus unquam dixit. Quòd non procedat à nobis *immediatiùs*, atque ab his *quæ facta sunt*, mentem nostram informantibus, ut à *Fundamento Proximo*, pernegamus. Hinc deducit, [*Claram istam ac Distinctam Cognitionem proculdubiò à Deo manare*] Procul omni dubio omnia Creata à *Deo manant*, & (modo jam dicto) etiam omnes Actiones nostræ cujuscunque generis sint. Dat etenim Sapientia Divina cunctis Entibus Essentias suas; intérque ea, Menti nostræ naturam susceptivam impressionum à rebus Creatis, quibuscum versamur; & potestatem *Reflectendi* super Notiones nostras, easque comparandi, & *distinguendi*, indeque ad Claram ac Distinctam earundem Cognitionem perveniendi. Porrò, dat nobis ex istâ Notionum jam Distinctarum Comparatione, atque inter se Collatione, Facultatem Conjungendi eas in Propositione, & pervidendi eas esse conjungendos; Dat nobis virtutem Principiorum Primorum omnimodam Certitudinem pervidendi; indeque cernendi quòd si duæ Notiones aptè connectantur cum Tertio in duabus Propositionibus, Tertiam inde necessariò secuturam;

ram; quod *Diſcurrere* ſeu *Ratiocinari* vocamus. Denique dedit Menti noſtræ Potentiam Reflectendi ſuper Notiones ſeu Terminos, & ſuper Propoſitiones dictas, & Regulas ſtatuendi quo pacto ita conjungendæ & collocandæ ſint, ut Claram inde ac Diſtinctam Cognitionem, ſeu *Scientiam*, habeamus quòd Concluſio ſic demonſtrativè deducta, *veriſſima* ſit. Imò, *præmovet* nos Divina Providentia ex ſerie cauſarum, quas poſuit conſervátque, ad hæc omnia peragenda. Hæc omnia inquam Deo accepta ferimus, neque quicquam adſumimus nobis ipſis niſi quòd cooperemur cum Primâ Causâ ad Effectus iſtos producendos. Sed hoc non placet D. *Le Grand*, nec Methodo Carteſianorum convenit. Actum ſiquidem eſſet de Causâ ipſorum, ſi neceſſaria Effectuum à Cauſis Propriis *Sequela* ſtabiliretur. Contendit Claram iſtam & Diſtinctam Cognitionem quam habemus non a nobis ſed a *Deo* immediatè *manare*; aliter ſiquidem ſententia ipſius cum noſtrâ coincideret. Quare id ſibi vult ut ſecluſis & ſepoſitis quibuſcunque Mediis, Cognitio iſta a Divino Numine proficiſcatur. In quo coincidit cum *Malbranchio* ſuo quòd Scientia non niſi ex Divinâ Revelatione haberi poſſit. Nam, ſi Clara & Diſtincta Cognitio, ſeu (quod idem eſt) *Scientia*, a Deo immediatè manat, non aliunde quam ab Inſpiratione ac Revelatione Divinâ illam mentibus eorum inſuſurrari omninò neceſſe eſt.

Deus Actiones Creaturarum Proprias non Immediatè per ſeipſum ſupplet.

90. Percurramus itaque ſingula quæ modò recenſuimus Media ad *Scientiam* comparandam. Num ſupplet Deus immediatè vicem noſtram in Notionibus recipiendis? Num format pro nobis *Propoſitiones* aut *compingit* Diſcurſus & *Syllogiſmos*? Num Deus, & non nos

ipſi

ipſi, *Regulas tradit* Logicas, aut *Demonſtrationes deducit?* Si nihil horum faciat, ſed hæc omnia Deum *dedéceant*; tunc ex iſtis Mediis *Scientia*, ſeu *Clara ac Diſtincta* Veritatis *Cognitio*, atque a Nobis dum iis utimur, immediatè proficiſcitur; & non ſpecialiter, & immediatè a Deo manat. Quæro itaque, Nonne Demonſtrationes a *nobis* proficiſcuntur? Nonne Demonſtrationes gignunt *Scientiam?* Nonne Regulæ Logicæ, Propoſitiones, Syllogizandi Ars, & reliqua *Media* jam dicta, ad Demonſtrationem faciendam ſub aliquo Cauſarum genere, conferunt? Si ait, tunc *Demonſtratio*, & quod ſequitur, Clara & Diſtincta Veritatis Cognitio, ſeu Scientia *a nobis proficiſcitur*; & non immediatè à Deo in Mentem noſtram manat. Sin neget, cui uſui inſerviunt cuncta quæ aſſignavimus *Media?* Quorſum Ars Logica, Scholæ & Academiæ, ſi nihil conferat *Induſtria*, nec ulli uſui ſint *Studia* noſtra; ſed omnis fructus quem inde percipere ſperamus, à *ſolâ Voluntate* Dei ac *Revelatione* haberi poſſit. Quod purum putum eſſe Fanaticiſmum in Philoſophiâ, & conſequenter omnes quæ talem doctrinam altiùs imbibêrunt ad Enthuſiaſmum diſponere, vel lippis ae tonſoribus evidentiſſimum eſt. Neque huic obeſt, quòd non *omnes* Carteſiani in hoc Delirium incidant; ſed quamplurimi, imò Generalitas ipſorum, viri prudentes ac Mentis, æque ac alii, compotes ſint; Hoc etenim accidit, ex eo quòd Carteſio, & Methodo, quam tradidit, fidant credántque: Quod ſi non feciſſent, ſed, ut olim ipſe, ſenſuum fidem abdicare, omnia *falſa* reputare quæ Bonitas Naturæ ipſis indiderat, denique ſi *exuere ſeipſos*, prout Carteſius fecit, tentaſſent, non dubium eſt, quin eôdem

dem vel etiam pejore Enthusiasmo quàm is expertus est, corripiendi essent. Sed ad rem redeamus. Vult adhuc ulteriùs Paradoxum istud confirmare ex eo quòd [*Inter Claram & Distinctam Cognitionem, & inter Assensum, quem Voluntas tali Cognitioni infallibiliter præbet, talis est nexus qui Deum pro Authore habet.*] Utinam tandem aliquando vel unicum Argumentum, quod Demonstrationem, vel saltem Probabilem Rationem sapiat, in Authore isto invenire possem: Nam Dictis *Gratuitis*, iisque stolidissimis, in quâvis fere lineâ occurrentibus, perpetuò respondere, res est tædio plenissima. Nonne Intellectus, cùm *clarè* ac *distinctè cognoscit* rem ita se habere, *quiescit* à Dubiis, ipsique *satisfactum* est? Si sit, illa *Satisfactio* & *Quiescentia* à Dubiis est *Assentiri* & *Judicare*. Quòd Voluntas *Assensum præbeat*, jam ostensum est esse Stoliditatem maximè ridiculam, ac pænè, Insaniam. Et quòd *Voluntas sit* in hoc *infallibilis*, (uti hic ait) cùm tamen *Intellectum* ferè semper errare ponat, est quiddam ultra Fatuitatem; cui nomen *deest*, & per me deerit. Denique, ut nemo *Assentiatur naturaliter*, habitâ licèt Clarâ & Distinctâ Cognitione de rei Veritate, nisi Deus speciali modo velit *annectere Assensum* Cognitioni illi, tum gratis datum est, tum probatu Impossibile, & omnem Insipientiæ modum exuperat.

Veritas & Certitudo Judicii super Rebus ipsis, & non super modo nostro concipiendi fundatur.

91. Procedit, cæci more, & singulis ferè passibus adversus Veritatem aliquam, si non Prima intellectûs Principia, impingit; Ait itaque [*Cognitionem Claram & Distinctam, Causam & Rationem esse quare Judicium nostrum Certum Verúmque appellemus.* Quis hæc legens non existimabit Cerebrum istiusmodi Scriptorum, ex Idearum suarum inanium contemplatione, inverso

inverso ordine & situ prætenaturali collocatum? Totum Humanum Genus, ante Cartesium natum, pro certo habuêrunt, *Judicium* nostrum tunc esse *Verum* appellandum quando conforme est *Rebus*, vel quando *Res ita se habet, prout nos rem esse judicamus*. Num, oportet *naturæ rerum* à Conditrice Sapientiâ inerranter stabilitas relinquere, ut Veritudinem ac Veritatem in *modo concipiendi* quem existimamus nos habere, tanquam in basi suâ fundatam agnoscamus; indéque, & non aliàs, petendas esse? Præsertim cùm *Cognitio* illa seu *Judicium* sit de *Propositionibus*; in quibus *Terminorum Connexio*, (hoc est, Veritas earum) juxta D. *Le Grand*, à distortæ & Cæcæ Voluntatis suæ *Decreto* ac Arbitrio (ut fatetur) pendeat; denique cùm sæpenumerò utraque litigantium pars existimet se *clarè* ac *distinctè* cognoscere sententiam suam esse Veram. Nihil itaque hactenùs adductum est quòd probet *Claram* suam & *Distinctam Cognitionem* esse *Regulam*; unde Conclusio illa *nulla* est, cùm Præmissis destituatur. Vult tamen hoc inde probare, quia *Qualemcunque Demonstrationem postulaveris, illa nunquam evit Scientiæ Fundamentum, nisi in quantum clarè & distinctè intelligitur*. Hoc quidem probare videtur *requiri* ad hoc ut ego cognoscam Argumentum aliquod esse *Demonstrativum* ut *clarè* & *distinctè* illud *intelligam*; imò etiam requiritur ut *sic* intelligam singulas *Propositiones* atque etiam *Notiones* quibus inter Demonstrandum utor; quia Evidentia *Conclusionis* pendet ab Evidentiâ *Præmissarum* & *Sequelæ*. Non tamen inde sequitur ut omne quod Prærequisitum est fit *Regula*. At neque Demonstratio est Basis seu (ut is vocat) *Fundamentum Scientiæ*; sed

Prin-

Principia illa *Prima* quæ *regulant* nos in Cognoſcendo an Demonſtratio illa fuerit verè talis; & ſpeciatim Principium illud quod omnis *Conſecutionis* neceſſitatem fundat; ut in *Methodo* meâ, Lib. 3. cap. 1. §. 3. oſtenditur.

Confundit D. *Le Grand Finem* cum *Medio.*

92. Verùm, propius rem quæ præ manibus eſt intueamur. Cùm *Scientia* ſit *optima* quam acquirere poſſumus *Cognitio*, nec ulla Cognitio melior haberi poſſit quàm ea quæ ſit *Clara* & *Diſtincta*; ſequitur Claram iſtam & Diſtinctam Cognitionem eſſe idem quod *Scientia*. Quare cùm *Scientia* ſit *Meta* ad quam collimant, & *Finis* quem proſequuntur Philoſophi; & *Regula Sciendi*, ſit *Medium* ſeu *Via* quâ attingitur; juxta Diſcurſum D. *Le Grand*, idem erit tùm *Via* tum *Finis*, ſeu *Medium* ad ſeipſum conſequendum. Porrò, cùm Medium *haberi* debeat antequam *Finis* poſſimus eſſe compotes; oportebit nos habere *Claram* ac *Diſtinctam Cognitionem*, ſeu *Scientiam*, antequam eam habeamus. Uſque adeò deſperandum eſt unicum verbum ex D. *Le Grand* excuſpere quod ſani ſenſûs vel umbram habeat.

Demonſtrare debet D. *Le Grand* unde Claram iſtam ac Diſtinctam Cognitionem habuerit.

93. Exiſtimat ſe Punctum Quæſtionis acutetigiſſe & rem omninò confeciſſe, allegando *Claram* & *Diſtinctam* Cognitionem eſſe Regulam Cognoſcendi: (hoc eſt, idem eſſe *ſibimet Regulam,*) & conando id probare ratiunculâ aliquâ levidenſi, quæ ad Notionem *Regulæ* non pertingit. At non animadvertit adhuc redire ac hærere Quæſtionem; ſcilicet, Undenam provenit ut illam *Claram & Diſtinctam Cognitionem* habeat? Si dicat, à nullâ Cauſâ; tunc, cùm manifeſtè *Effectus* ſit (nam non *ſemper* illam *habuit*) tunc erit *Effectus ſine aliquâ Cauſâ*; quod Contradictio eſt manifeſtiſſima. Sin dicat, eam habuiſſe aliquam Cauſam; tunc

Cauſa

Cauſa illa quæ dat Cognitioni noſtræ ut ſit Clara & Diſtincta, debet *ipſa* Clarior & Diſtinctior eſſe. *Regulat* itaque & metitur Cauſa illa Claritatem & diſtinctionem hujus *Regulæ*; Quare *Regulata* eſt, non *Regula*, Perceptio illa Clara & Diſtincta, quam D. *Le Grand* Unicam, ſolámque Regulam ſtatuit. Incumbit itaque ipſi oſtendere quænam ſit Cauſa illa *Notior*, quæ impertitur ipſi hanc Claram & Diſtinctam Cognitionem. Dicet forſan *Ideas* quas elicuit Mens ipſius, eſſe Cauſam iſtam. At Demonſtratum eſt ſuperiùs neque poſſe Mentem elicere ullas, nedum *Determinatas*; neque ſatis ipſimet conſtare, modò verbis ſuis adhibenda ſit Fides, quid Idea ſit; an, ſcilicet, ſit *Res ipſa*; an Aliud, quod ſit ei *Vicarium*; an *Repræſentatio* Rei; an *Actus* Intellectûs Elicientis; an Chimæricum neſcio quid quod ſit *Quaſi-Res*. Omnia itaque quæ de *Ideis* ſcripſit, in Confuſione atque Obſcuritate obvoluuntur; nec proinde poſſunt *Claram* hanc & *Diſtinctam Cognitionem*, tribuere Intellectui. His anguſtiis circumſeptum D. *Le Grand* relinquimus; è quibus quomodo ſe extricabit ſuum eſt conſiderare. Certè, *Tria* Onera, eáque ſatis gravia, ipſi incumbunt. Primo, ut faciat nos clarè & diſtinctè cognoſcere *quòd dentur* ullæ omninò *Ideæ Spirituales*. Deinde, clarè & diſtinctè Demonſtrare *Quid ſint* illæ Ideæ. Denique vel oſtendere hanc Claram & Diſtinctam Cognitionem non eſſe *Effectum*; vel, ſi ſit, tunc demonſtrare à quâ Causâ Secundâ producatur quæ *Clarior* & *Diſtinctior* ſit ipsâ: Vel, ſi dicat à nullâ Causâ *Secundâ* profluxiſſe illam, tunc demonſtrare quòd à Causâ Primâ, ſeu *Deo*, idque *immediatè*, proceſſerit; hoc eſt, quòd non aliunde niſi ex *Revelatione* Divinâ eam habuerit.

94. Licèt,

Qualis sit *Cognoscendi Regula.*

94. Licèt, hoc in locò, nostram Cognoscendi Rationem *probare* non mihi incumbat, sed *confutare alienam*; nihilominùs expectabunt forsan Lectores ut aliqualiter saltem exponam quænam sit mea Cognoscendi Regula, & undenam habeat quod talis sit; ut videatur an solidiori tus Principiis & rationibus ex naturâ Rei petitis, doctrinam meam stabilire valeam. Quare, cùm ad pleniorem Lectoris satisfactionem id valdè conducere judicem, idcircò *Methodum Sciendi* quam statuo, brevi transcursu non pigebit enarrare. Quod dum facio, veniam mihi dabit Lector, si paucula quæ jam sæpiusculè dicta sunt, præsenti negotio id postulante, repetam. Quæstio itaque petit, quænam, dum *Scientiæ* comparandæ studemus, sit Primum illud Cognitum, seu Prima Regula, cujus ope atque Evidentiâ cætera omnia Cognoscamus. Et, cùm omnis Scientia ac Cognitio Veritatis quam habemus, per Propositiones, hoc est, per Notionum seu Terminorum Compositionem & *Connexionem* fiat, in quâ *Veritas* omnis *Formalis* consistit, & quâ exprimitur; sequitur quòd in *aliquâ Terminorum Connexione*, omnis *Cognoscendi Ratio* ponenda sit. Quare, cùm Connexio ista vel sit *Conclusionum* scientificè seu Demonstrativè deductarum; quæ cùm ab aliis Propositionibus seu Connexionibus pendeat, ista proinde non potest esse *Regula Cognoscendi*; eò quòd Regulata sit a Veritate & Cognitione earum Propositionum è quibus deducitur, necnon a Veritate illâ quâ Necessitas Sequelæ stabilitur; sequitur quòd Regula illa consistat in Connexionibus illis, quæ non aliunde probantur, sed *ex semet*, seu *ex vi ipsorum Terminorum* Evidentes sunt; quales cùm non inveniantur nisi in *Principiis* omninò

omninò *Primis*, seu Propositionibus *Identicis*, hujusmodi itaque Propositiones omninò *Primæ* atque *ex-se-Evidentissimæ*, reliqua omnia Cognoscendi Ratio seu *Regula* sunt; utpote in quas finaliter resolvenda sit omnium aliarum Cognitio; tum etiam earundem Certitudo; & vis etiam *Consequentiæ*, sine quâ nihil Deductum aut Conclusum cognosci poterit. Uti ostensum est, *Method.* Lib. 3. Lect. 1. §. 3. & Lect. 3. §§. 15, 16. & Lect. 4. ad §. 7. Hæc autem Principia omnium Prima non ab *Actibus*, seu *modo nostro clarè & distinctè percipiendi*; sed à *Rebus ipsis*, menti nostræ, tanquam *Objectis* ejus, impressis, sic ostendo.

95. Sapientia Divina, Mundi Creatrix, omnium Rerum, in Machinâ hâc Corporeâ, Ideas seu *Essentias* in Mente ipsius ab æterno habuit; à quâ etiam absque ullâ Errandi possibilitate fluxerunt. Tales itaque postquam creabantur, sunt, quales in Deo extitêrunt. Quare, Res Creatæ sunt Stabilissimum Veritatis ac Scientiæ Fundamentum, modò in Animæ nostræ Cognitionem pervenire possint. Posse autem eas eò invehi, per particulas *ejusdem* prorsus *Naturæ* quas emittunt, & in Cognitionis Sedem, Sensuum ope transferunt, indéque in Animam quæ Partem illam Nobilissimam immediatè *informat*, jam pluribus ostensum est. Quinimò, posse eas in Animam pervehi, seu quòd idem est, eam afficere, concedunt Cartesiani; dum fatentur eas Menti imprimi, quatenus Composito seu Homini Congrua aut Noxia sunt; licèt, nullâ ratione ducti, particulas Corporum ad Sedem Cognitionis pervehi, eamque, (ut & Animam quæ Forma ejusdem est) juxta Naturas suas, seu *prout sunt*, afficere negent; in quo discrimen

Cognitionis seu Scientiæ nostræ *Regula*, est *per-se notissima* & *Clarissima Evidentia*, quæ in *ex-se-Connexis* Propositionibus, seu *Primis Principiis* fulget.

crimen inter nos & Carteſianos, hâc in re, pænè unicè conſiſtit. Hæ Impreſſiones, ſeu veriùs Res impreſſæ, prout in Partem jam dictam impingunt, *Phantaſmata* vocantur; prout verò ulteriùs provehuntur in Mentem, eámque afficiunt, *Notiones* ſeu *Simplices Apprehenſiones* nominantur. Cùm autem Notiones iſtæ, prout in Mente *ſuo modo* receptæ, ſint *Ipſæ Res*, (ut multis Argumentis in Prælimi-nario meo ſecundo demonſtratur,) &, *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipiatur*; *modum Exiſtendi Spiritualem*, ac prorſus Diver-ſam à Corporeo illo quem *extra mentem* ha-bent, exinde nanciſcuntur. Poſſe *Res ipſæ* hos duos *exiſtendi modos* habere, patet ex eo quòd licèt in Mente Divinâ extiterint ab Æ-terno, ibíque exiſtant modo *Spirituali*, tamen *extra Mentem Divinam* modo Corporeo exi-ſtunt poſtquàm Creata ſunt. Unde aſſero, pari ratione poſſe eas ipſas exiſtere *Spirituali modo* in Mente noſtrâ; quæ, cùm ſit Naturæ *Spiritualis*, Dei proinde, qui *Spiritus* eſt, Imaginem & Similitudinem quandam gerit. Cum hoc tamen Diſcrimine, quòd ſint in *Deo* tan-quam in Primâ ſui Causâ; in *Animâ* verò tan-quam *Effectus* Corporum quibuſcum verſamur & a quibus afficimur; unde Mens noſtra in Primis illis Notionibus recipiendis merè *Paſſi-va* eſt. Advertendum autem Res iſtas non, ſecundum omnem ſui rationem, ſeu ſecundum omnes (ut ita dicam) ſui partes ſimul ſe-mélque à Mente *expreſsè* cognoſci; ſed, pro variâ Objecti propoſitione, variâque a Senſi-bus Impreſſione, Inadæquatos ſeu *Partiales* ejuſdem Conceptus menti ingeri; quæ omnes reverâ, *Res Ipſæ* ſint; unde fit ut Vox quæ ſig-nificat *unam* aliquam Partem, Conceptum ſeu Con-

Considerabilitatem quam Res habet, significet reverâ ipsum *Totum*; (nam, nullas *Partis Actuales* esse in Composito Metaphysica demonstrat) non tamen expresè *secundùm se Totum*, sed *secundùm hunc* vel *illum* Respectum seu Cognoscibilitatem quæ menti offertur. Notiones istæ sic in Animâ receptæ, ob *Spiritualem* modum existendi quem ibi obtinent, & ob Indivisibilem ipsius Animæ Naturam, *Indivisibilitatem* quandam (ut dictum est) acquirunt, & sunt tales usque ad Indivisibile; qualiter in Numeris & Figuris Mathematicis contingit; adeò ut vel minimâ sui parte additâ vel demptâ, *Alia* prorsus Notio evadit. Idémque dicendum de quibuscunque aliis Phantasiis quas à Rebus Corporeis habemus; quas polit limátque Mens, atque ad Exactitudinem reducit. Unde provenisse existimo quòd Philosophi non pauci *Intellectum Agentem* posuerint ad depuranda Phantasmata; observantes aliam esse rerum existendi rationem seu Modum in Mente, ubi omnia sunt Concisa & Exactissima, quàm in Rebus Corporeis extra Animam; ubi, eò quòd perpetuo Motu agitata sunt, Indeterminatio & Confusio necessariò reperitur. Hinc fit ut singulæ Notiones intra suos Limites exquisitissimè circumscribantur, ita ut *non sit*, nec possit esse *Alia*, sed tantùm *Ipsamet*; unde connaturaliter oriuntur *Prima* illa *Principia*, [*Unumquodque est id quod est. Quod est, est.*] vel, aliis verbis, [*Impossibile est idem esse & non esse simul. Idem est idem sibi ipsi. Existentia est Existentia.*] & reliquæ Propositiones *Identicæ*: Qualia debere esse omnia *Principia Prima*, in *Methodo* meâ, Lib. 2. Lect. 2. à §. 11. & Lectione Tertiâ, mul-

multipliciter demonstratur. Ex his ad alia paulò remotiora, Rationis ope, delabimur; v. g. [*Quod agit, est*: seu, *Rei est. Quod me afficit taliter aut taliter, talis Rei est.*] & hujusmodi: Unde Notio *Substantiæ*, *Entis* seu *Rei*, imò Entis aliquatenùs *Diversi* comparatur. Porrò, Mens plurimis Notionibus, progressu temporis, imbuta, & *Comparativâ* virtute prædita, (in quâ tota *Prædicandi*, *Ratiocinandi*, & (generaliter) *Connectendi Terminos* Facultas comprehenditur) incipit Homo considerare an duæ Notiones *non-Identicæ*, de se prædicari, aut identificari debeant; non quidem *formaliter* (prout fit in *Primis Principiis*) seu ex vi ipsorum *Terminorum*; sed *materialiter* tantum; quod tamen sufficit ut Propositio sit *Vera*. Et observans quòd utraque harum Notionum, vel quod correspondet iis, inveniatur *in eodem Enti*, multas alias Propositiones compingit: Et, postquàm ex iteratâ Mentis Reflexione compertum est eas esse *Veras* seu *Rem ita se habere* prout prædicatum seu dictum est de eâ, *cessat* Intellectus ab omni *dubitandi motu*, & *Judicium* defigit *Rem ita esse*, & Propositionem eam esse *Veram*. Idem, cum proportione, dicendum de *Ratiocinio*; ubi ex Connexione duorum Terminorum cum Tertio in duabus Propositionibus, exinde emergit Propositio Tertia, *Conclusio* dicta. Cujus *Consecutio* ex talibus Præmissis ritè dispositis atque ordinatis, integrè fundatur super Propositione *Identicâ*; ut in *Methodo* nostrâ, Lib. 3. Lect. 1. §. 3. evidentissimè demonstratur. Porrò, Mens super *Cogitationes* suas reflectens, comparat eas cum Operationibus Corporeis; & comperiens eas esse Naturæ à Corporeis longè *Diversæ*, imò

Con-

Contradictoriæ; inde Notionem Naturæ seu Entis *Spiritualis* acquirit; & semet esse Naturæ Spiritualis agnoscit. Hinc ulteriùs, Rationis ope, ad dignoscendum quænam Naturæ isti suæ nuper Cognitæ Congrua & Incongrua sint, provehitur Anima; indéque ad *Veri*, & *Falsi*, *Virtutis* & *Vitii*, tanquam quæ Naturæ Rationali, *Proficua* aut *Noxia* sunt, considerationem suam exporrigit. Hinc, tum Logicæ aliarumque Scientiarum Regulas statuit; quibus *Intellectus*, Potentia utique cognoscitiva & ad *Sciendum* nata, perficitur; tum Regulas quoque Ethicas, quibus ab intellectu perceptis, dirigatur *Voluntas* ad id quod vere *Bonum* Homini est Actionibus suis Prosequendum, & ad *Malum* fugiendum. Præterea, cùm Anima, cognoscat res non comprehensivè, sed per *Inadæquatas* Notiones, quæ *Universales* sunt, hinc fit ut naturaliter ad *Universalia* feratur; quæ, licèt inse Clariora, tamen, cùm paucissima sint, non satis largum Discurrendi Campum præbent Rationi, sed ejusmodi sunt, ut, si in iis hæreatur, inter cancellos nimis arctos compingetur Ratiocinandi Facultas; idcirco *Dividit* Objecta illa nimis Generalia, & sic ad *Particularia*, pænè Infinita, paulatim delabitur; eâdemque operâ, dum ea per *Differentias* in diversas quasi Tribus dispelcit, in Definitiones incidit, quæ Utilissima sunt ad Scientiam comparandam Instrumenta. Denique Reflectendo sæpiùs variisque modis super cogitata sua, Mens eadem Addendi, Amplificandi, Multiplicandi, Ordinandi, Componendi, Distinguendi, &c. ex his quæ priùs noverat, Capax evadit. Quæ omnia Intellectûs Munia, modò ordine quo sibi gradatim succe-

dunt, persequi vellem, non dubitarem liquido demonstrare, ea omnia à *Primis* ac *per-se-notis Principiis* fluere. Sed de his catenatâ serie tractare integrum opusculum desideraret.

Genuinus *Regulæ* hujusce Character.

96. Est itaque Lux illa Meridiana, quæ in Primis ac per-se-notis Principiis, seu Terminorum in iis per Identitatem consolidatione fulget, *Unica ac Certissima omnis Cognitionis Scientificæ & Veritatis Regula:* ut quæ omnium aliarum quarumcunque est *Prima*; ex-se-Evidentissima; non *Alieni* Luminis indiga, sed cunctis aliis illud impertiens, & à se tanquam Fonte *derivans*. Adeò altè in Mente radicata, ut nullo Morbo, nullo Casu, nullo Naturæ Lusu, dummodò vel minimus Rationis Usus superstet, eradi aut eximi possit. Origo omnium Cognitionum inferiorum; quæ, utcunque Phantasiæ ingeniosè adblandiantur, Mentis tamen Judicio non usquequaque satisfaciunt donec ad *Prima illa Principia* reducantur & veluti ad *Lydium* Veritatis *Lapidem* expendantur. E quâ solâ tota *Consequendi* vis, ac proinde omnes *Ratiocinandi* Actus, integrè atque unicè pendeant. Adeò Incontestabilis & negatu Impossiblis, ut vel Scepticorum obstinatissimos ac contumaciissimos stringat, atque ad Assensum perpellat. Demonstrationibus etiam nobilissimis robur plusquam Adamantinum tribuit; nullâ Arte Sophisticâ eludendum, nullis Distinctionum machinis quatiendum. Arx Veritatis atque Evidentiæ Inexpugnabilis. Denique *Solidissima*; utpote non ab Instabili ac Phantastico *modo nostro concipiendi*, sed *Veritate* Rerum *Metaphysicâ*, quam Digitus ipsiusmet *Dei* ab æterno & in æternum stabilivit.

ſtabilivit, immediatè fundata ac radicata ſit. Quæ omnia perpendenti *Methodum* meam, ubi prolixiùs de his tractatur, manifeſtiùs patebunt.

Obſerves, Lector, obſecro, quàm firmiſſimo nitatur Fundamento noſtra Scientiæ adipiſcendæ Doctrina: nempe à *Naturis* Creaturarum à *Divinâ Sapientiâ*, extra omne *dubium*, *fixis*; non ab *Ideis* a Mente noſtrâ efformatis; quæ Theſis multis Objectionibus, iiſque inſolubilibus exponitur, & Clariſſimis Principiis adverſatur. Nihil hîc adducitur quod à *Naturis Rerum* alienum eſt, vel à continuatâ Cauſarum & Effectuum ſerie abhorret. Nullus hîc *Hiatus* in Curſu Ordinario Providentiæ per Cauſas Secundas Mundum adminiſtrantis. Nulla Interpolatio Cauſæ nobis penitùs Ignotæ, *Voluntatis* ſcilicet *Divinæ* gratuitâ Suppoſitione; quæ *Defectum* ſecundarum Cauſarum (ſeu verius, Argumentorum Carteſianorum) ſuppleat. Nullus *Deus è Machinâ* in Scenam noſtram introducitur. Nihil denique quod Philoſophiam non deceat. Quæ omnia ubi probè perpenderis, & allata ab utraque parte invicem contuleris, de Diſſertatione D. *Le Grand*, & *Replicâ* noſtrâ Te penes Judicium eſto.

Propoſitiones Categoricæ ex Indicatione Sextâ Collectæ, & à D. *Le Grand* ad Terminorum Connexionem reducendæ.

Cognoſcendi Regula Carteſianorum oppoſita eſt Primis eorundem Principiis. §. 79.

Amplectendum eſt illud pro Principio *quod forſan merum* Somnium *eſt.* §. 81.

Concluſio debet eſſe Notior quàm Præmiſſæ è quibus probatur. §. 82.

Diſtinctio Realis Entium quæ in Naturâ exiſtunt, pendet à modo noſtro concipiendi. §. 83.

Illud conſtituendum eſt pro Veritate omnis Regulâ, *quod* Deliris *ac* Spleneticis, *atque Exanimibus & Veritatem aſſequentibus* ex æquo *convenit, ac* Commune *eſt.* §. 83.

Prima *Cognoſcendi* Regula *debet eſſe* Dubitabilis. §. 86.

Non eſt Fanaticum aſſerere quod in Rebus Naturalibus *Lumen aliquod Interius habeamus, quod non poſſit oſtendi ac manifeſtari aliis.* §. 87.

Non Fanaticum eſt aſſerere quòd in rebus Naturalibus Clara *noſtra ac* Diſtincta *Cognitio non acquiratur à nobis, ſed eam à Deo immediatè manare.* §. 89.

Non eſt Fanaticum aſſerere quòd Homo non poſſit aſſentire *propoſitioni quam Clarè & Diſtinctè*

ſtinctè cognoſcit, niſi Deus Annectat *Aſſenſum noſtrum* Cognitioni *illi Evidentiſſimæ.* §. 90.

Nulla Veritas fundatur in Rebus, *ſed in* Modo *noſtro concipiendi. Vel, Propoſitio non eſt idcircò* Vera *eò quòd* Res ita ſit, *ſed quia* Nos ita illam concipimus. §. 91.

IDEÆ CARTESIANÆ
AD
LYDIUM Veritatis LAPIDEM
(*Terminorum* scilicet *Connexionem*)
EXPENSÆ.

EXAMEN Tertium.

Appendicem D. Le Grand, *in quâ profitetur se* Formalem Mutationem *agnoscere, ex Prævaricationibus esse integrè conflatam, Ostendens.*

Hucusque fusiùs quàm fortasse par erat, D. *Le Grand* Calumniarum Farraginem, & *Dissertationem De Ratione Cognoscendi*, persecuti sumus. Quare, nè nimiâ prolixitate Lectorem fatigemus, presè ac succinctè, at nihilominùs, si ad *Suumam* Quæstionis respiciamus, *Plenè*, *Appendici* ipsius respondebimus.

1. Ce-

IDEÆ CARTESIANÆ
AD
LYDIUM Veritatis LAPIDEM
(*Terminorum* ſcilicet *Connexionem*)
EXPENSÆ.

EXAMEN Tertium.

Appendicem D. Le Grand, *in quâ profitetur ſe* Formalem Mutationem *agnoſcere, ex Prævaricationibus eſſe integrè conflatam, Oſtendens.*

HUcuſque fuſiùs quàm fortaſſe par erat, D. *Le Grand* Calumniarum Farraginem, & *Diſſertationem De Ratione Cognoſcendi*, perſecuti ſumus. Quare, nè nimiâ prolixitate Lectorem fatigemus, preſsè ac ſuccinctè, at nihilominùs, ſi ad *Suumnam* Quæſtionis reſpiciamus, *Plenè*, *Appendici* ipſius reſpondebimus.

1. Ce-

Unde Ortum habuit Controversia illa de *Mutatione Formali.*

1. Celeberrima erat olim Controversia inter Peripateticos & *Democriti* Sectatores, quos Neotericí *Corpuscularios* nominarunt; Quorum *Hi* ex Atomorum suorum *Extrinsecâ* Positione, seu variâ aptâque earum Collocatione, Res quascunque Naturales fieri posse contendebant: *Illi* autem, licèt concesserint *Situm* Minimorum illorum (qualiacunque demum illa fuerint,) nonnihil ad Determinationem Materiæ seu Constitutionem Entis Naturalis, conferre; tamen, cùm Ratio illa fuerit merè *Extrinseca*, eam proinde *solam* neque ad Entis Constitutionem, neque ad Naturæ Explicationem sufficere existimarunt. Nam Notiones quas habemus Naturales, & Communis Humani Generis Sensus & Locutio manifestant tum *Unum* Ens Naturale, seu unum Corpus, *mutari* in *Aliud*; tum etiam quodlibet Corpus, licèt idem *Ens* maneat, diversimodè *Alterari*, quoad *Modos* quosdam seu Respectus *Accidentales*, qui Enti illi *Intrinseci* erant. Et, cùm Affectio omnis seu Determinatio *Materiæ*, vel etiam Totius Entis, quæ *Intrinseca* est, nomen [*Formæ*] obtinuerit; Mutationem proinde, secundùm utramvis harum Considerationum *Formalem* nominarunt.

Quæstionis Status proponitur.

2. Quò Quæstionis inter nos agitandæ Status clarius intelligatur, Logices ope utendum est, Notasdam nempe Peripateticos Decem *Summa* Notionum *Genera* statuere, quæ vulgò *Prædicamenta* vocamus. Quam Divisionem Rectam esse atque Adæquatam probatum est in *Methodo* meâ, Lib. 1. Sect. 2. adeò ut nullam de Rebus Notionem seu Conceptum habeamus Naturalem, quæ sub aliquo Capitum istorum non comprehendatur, vel facillimè ad

ea

ea reducatur. Inter hæc Prima Quatuor, nempè, *Substantia* (seu *Ens*) *Quantitas*, *Qualitas* & *Relatio*, habentur esse *Intrinseca*. De horum Primo, (scilicet, *Substantiâ*) id dubitare non licèt; cùm omnes Notiones sub Genere illo contentæ *Essentiales* sint; quas esse maximè omnium *Intrinsecas*, eò quòd sint ipsiusmet Partes quædam componentes, per-se-Notum est. Idem constat de *Quantitate*; quam, dum adhibemus eam ad Naturam explicandam, Cartesiani *Extensionem*, nos *Divisibilitatem* appellamus. Idem de *Qualitate* liquet; cujus est, *Subjectum* suum *in Esse* seu *in Naturâ* sui, Perfectum vel Imperfectum reddere. Nec de *Relatione* aliter philosophandum. Est siquidem *in* omni re Relatâ (modò Relatio illa sit *Realis*) aliquid *ob quod* illam *referamus* ad *Aliud*: Adeò, ut omnis ratio *Relationis*, secluso *Actu* nostro *referendi*, à Subjecto petenda sit, atque *in illo* reperiatur. Unde, cùm Notio [*Formæ*,] sit alicujus quòd *inest* Subjecto, hæ tres Rationes *Intrinsecæ* [*Formæ Accidentales*] nominandæ sunt. Quæstio itaque est, Utrum, quando *Novum Ens generatur*, vel *Ens* jam Existens (ut dictum est) *Accidentaliter alteratur*, Corpuscularii reverà ponant ullam Mutationem secundum has *Formas Intrinsecas*, annon? Quantum ad sex reliqua Prædicamenta, clarissimè *Extrinseca* sunt; &, non Affectionem seu Determinationem aliquam quæ *inest* Subjecto, sed Respectum ad *Aliud* denotant. Nam Naturalis *Actio* & *Passio* nihil superadduntMotui præter Respectum ad *Passum* & *Agens*, quæ sunt Extrinseca sibi invicem: Qualia etiam esse, *Ubi*, *Quando Situs* & *Habitus* extra Controversiam est.

3. Verùm,

Quanti interſit *Formalem Mutationem* agnoſcere.

3. Verùm informandus eſt D. *Le Grand*, nos *Appendicem* noſtram inſtituiſſe contra *quoſcunque* Corpuſcularios; & præcipuè contra illos qui ſunt *omnimodè* tales; eos, ſcilicet, qui *Democritum* & *Epicurum*, qui *Infractiles* eſſe Atomos ſuas opinati ſunt; atque hinc omnem prorſus Mutationem Formalem ex profeſſo negant: Et, non ſpeciatim contra Carteſianos qui Primam ſuam Materiam *Fragilem* & *Diviſibilem*, eſſe aſſerunt. Ad quod non ſatis advertens D. *Le Grand*, nulla neceſſitate coactus, ad Carteſium ſuum vindicandum zelum ſuum exeruit etiam quando nemo ipſi adverſatus eſt; uti in Identitate Hominis, truncatis membris; aliiſque locis videre eſt. Unde non incumbit mihi in his & ſimilibus, eum confutare, cùm ipſemet cum illo idem ſentiam. Oppugno autem Carteſianos, quòd, licèt Mutationem Intrinſecam *Materiæ* ſuæ tribuant, dum plura, juxta doctrinam & Principia ipſorum, imò Innumera Entia ex uno illo Primordiali Ente fieri aſſerunt; nulla tamen juxta illos, Intrinſeca Mutatio ponenda eſt unius *Mixti* (qualia forſan ſemper ſunt Corpora Naturalia) in *Aliud Mixtum*; nec, quod ſequitur, ulla novi mixti *Generatio Subſtantialis*, aut prioris Entis *Corruptio*. Alios etiam eorundem Errores, ut occaſio tulit, adnotavi. Defenſionem parat D. *Le Grand*; & *Appendici* meæ ſuam opponit. Argumentum autem meum, in genere, erat hujuſmodi. Sine *Mutatione Formali* in Entibus Naturalibus, tum ſecundum rationem *Entis*, tum ſecundum rationem *Modorum* ſeu Accidentium, nulla Explicatio Naturæ, quæ Congrua ſit, fieri poteſt: At tum *Democriti* tum *Carteſii* Sectatores talem Mutationem negant in Hypotheſibus ſuis conſtituendis; Ergo, non habendi ſunt veri Philoſophi,

loſophi, neque Hypotheſes ipſorum ſubſiſtere poterunt. Quæ omnia, ad Summam rerum intentus, ordine proſequar. Et quò melius id exequar, Vitilitigationes ipſius (quæ Innumeræ ſunt;) extra Quæſtionem Evagationes, ſive ad Curioſitates inutiles, (& multoties Falſas) venditandas; ſive ad gratificandum ac demulcendum animi ſui Morbum, tanquam nè flocci quidem faciendas, præteribo. Verbo, quòd in me ſuſcipio eſt, oſtendere quòd in iſthâc Appendice nihil prorſus attulerit, quod Principia à me ſtabilita vel minimùm concutiat, aut ad rem faciat; ſed, loco Rationum Solidarum manifeſtis vocum Abuſibus & Prævaricationibus Cauſam ſuam ſuſtentare conatus ſit.

4. Vides, Lector, Quæſtionis Statum clarè ac candidè expoſitum; vidiſti etiam Argumentum (in genere) meum. Negat D. *Le Grand* Subſumptum, & acriter contendit ſe *utramque* Intrinſecam ac Formalem Mutationem, tam Subſtantialem tam Accidentalem ſuſtinere, ac ſemper ſuſtinuiſſe; & verba expreſſa ad id probandum, è ſuis ipſius Libris citat. Quod ſi verum ſit, tunc candidè fatendum eſt mihi, tum quòd, in magnâ parte Appendicis meæ ictus mei incaſsùm ceciderint, atque aërem verberârint; tum quòd Lapſus adeò enormis Carteſianis valdè Injurius, & mihi quoque ipſi maximè dedecoroſus faturus ſit. Sin, è contrà, evictum dedero quòd non obſtantibus *verbis* ac *Prætextibus* D. *Le Grand* adeò expreſſis, is *reverâ* doctrinam tueatur contrariam ei quam profitetur, & *Formalem* atque *Intrinſecam* Mutationem Mixtorum, præſertim *Subſtantialem* ſeu *Eſſentialem* deneget, atque è Mundo tollat; tunc enimverò, tum ipſemet, dum hoc objeci, a culpâ

Quòd D. *Le Grand* ſingulis pæne verbis quæ ad Quæſtionem iſtam ſpectant, peſſimè abuſus ſit.

culpâ immunis ſum; tum Carteſiani & ſpecia-
tim D. *Le Grand* ſunt omni Candore vacui, &
nil niſi *verba dare* Lectoribus convincentur.
Quod itaque objicio atque imputo D. *Le Grand*
eſt iſtud; ſcilicet; ut, quò falſam Crimina-
tionem mihi inurat, veramque à ſe amoveat,
vocibus pænè omnibus, ſaltem præcipuis, quæ
ad hanc rem ſpectant, nempe, [*Intrinſecum*,
Formale, *Compoſitum*, *Subſtantia*, *Unum*, *Ens*,
Materia, *Denſum*, *Rarum*, *Phyſicum*, & *Muta-
tionem*] per totam iſtam Appendicem ſuam,
peſſimè abuſus ſit; &, quòd ſequitur, quòd
ubique omni ingenuitate projectâ ac profligâ-
tâ, turpiſſimè prævaricatus fuerit.

Nempe [*Intrinſecum, Formale, & Generatio.*]

5. Incipiemus à voce [*Intrinſecum,*] ſeu,
quod perinde eſt, [*Formale*] & citabimus ver-
ba ipſius in Volumine ſuo ingenti, ex alio-
rum Libris compilato, cui Titulus glorioſus,
Integrum Corpus Philoſophiæ, Part. 6. cap. 24.
§. 12. quæ hujuſmodi ſunt [*In Generatione
Plantarum & Animalium non magis producitur
Nova Subſtantia, quàm in Fabricatione Statuæ,
vel in Ædificatione Domûs.*] Et paulo poſt [*Ge-
neratio nihil aliud eſt quàm Tranſlatio ſeu Diſpo-
ſitio partium Materiæ.*] Primæ ſcilicet Mate-
riæ Carteſianæ. Et [*Nihil quicquam diſſimile
eſt in Compoſitionibus Naturalibus & Artificiali-
bus.*] Advertas, obſecro, Lector, ſermonem
hîc eſſe de Generatione Novarum *Subſtantia-
rum*, ſeu Novorum *Entium*. Quare, conſide-
rando Mutationem iſtam, tum ex parte *Ter-
mini à quo*, tum *Termini ad quem*; neceſſarium
eſt ad Notionem talis Mutationis, ut Ens il-
lud quod erat priùs *deſinat eſſe*, ſeu Exiſten-
tiam priorem amittat, hoc eſt (ut Scholæ lo-
quuntur) ut *corrumpatur*; & *novum Ens*, ſeu
aliquid habens *Novam Exiſtentiam producatur*.

Imò,

Imò, cùm Mutatio ista sit *formaliter* Substantialis, oportet ut mutetur res illa in ratione *Entis* (seu Substantiæ) *formaliter* ut *Ens* est, seu *capax* existendi; & ut *Novum Ens*, seu Res quæ sit *Capax Novæ Existentiæ*, ejus loco, seu ex vi *Destitionis* Rei prioris, substituatur. Afferuntur itaque Lapides, Lignum, Tegulæ, Vitrum, Mortarium ad Domum ædificandum, & debito *Situ* ad Fabricam illam componendam *disponantur*; Num *desinunt esse*, aut Existentiam priſtinam *deperdunt* ex eo quòd tali ordine Artificiali componantur? Nonne sunt *Eadem Entia* Naturalia, nempe Lapides, Lignum, &c. ac priùs erant? Num *esse* suo privantur ex eo quòd (ut ait) *Transferantur* in alium locum, aut *disponantur* in alio *Situ*. Num Grana Frumenti statim facta sunt *Aliæ res*, quia juxta alium Ordinem compingantur in Sacco, quam in Aréa, vel in Agro? Num Faber ille est Factor Entium Naturalium? Num *Collocatio* illa mutat *Entitatem* seu *Essentiam* Rerum quas compaginat? Num Juxtapositio partium, quæ evidentiſſimè *Extrinseca* est, sine ridiculo Vocum Abusu, dici potest *Intrinseca*? Num *Situs*, *Locus* & hujusmodi, quæ ad *alia* Prædicamenta seu Notionum Genera spectant, sunt *Intrinseca* ac *Formalia* Constitutiva *Substantiarum*. Num *Essentias* Rerum ponunt & tollunt, vel novam Substantiam *producunt*, aut *Destruunt* præcedentem? Certè, nisi Carteſiani penes se arbitrantur cunctas Notiones Humanas pervertere, Communem Sensum mentibus hominum eradicare, ac significationes Vocum Usu stabilitas, imò Essentias Rerum à Deo positas pro libitu suo immutare, nihil horum absque Insaniâ perinsigni præsumere aut afferere ausi fuissent. Quot

Demon-

Demonſtrationes evidentiſſimas ad ſui Confutationem ſuppeditaret unaquæque *Abſurditatum* iſtarum, niſi quòd, vel ex ipſarum mentione ac propoſitione ſuâpte ſponte ruerent!

Nec non vocibus [*Ens*] & [*Unum.*]

6. Porrò, omnis *Actio* interque eas, *Generatio*, exercetur circa *Singularia*; nam Univerſalia, utpote *Indeterminata*, non ſunt vel *Hoc* & *Illud*, nec proinde poterunt *eſſe* aut *fieri*. Quare omnis Generatio eſt productio alicujus *Unius Entis*. Num *Animal*, vel *Arbor*, quæ (ut D. *La Grand* ait) eodem modo quo *Domus* fabricantur, ſecundum Doctrinam ipſius, *Unum* aliquod ſeu *Individuum* Ens eſt, licèt ſingula ex *multis Entibus Actu* compaginentur? Certè unumquodque Tignum, Lapis, &c. & idem dicendum de ſingulis Materiæ ſuæ particulis Elementaribus, *Unum Ens actu*, & Completum in ratione *Entis* erat ante Compoſitionem illam Artificialem, nam unumquodque horum erat *Exiſtentiæ Capax*, idque *ſe ſolo*, ſeu abſque ope alterius; quod omninò illud in ratione Entis conſtituit. Unde *Plura* ex his, *Multa Entia* erunt, & non *Unum Ens*. Nunquid ex eo quòd juxtaponantur *Diverſa* Entia Naturalia, *Unum Ens* erunt; vel ex eo quòd nos Nomen ſingularis Numeri Artificiato illi (puta *Domui* aut *Menſæ*) tribuere ſolemus? Nonne *Unum* additum *Uni*, *Duo* Entia faciunt? & *mille Una* Entia, licèt quomodolibet juxta ſe poſita, *Mille Entia* ſunt? Quænam hæ ſudendi in vocibus præſtigiæ, quænam iiſdem Abutendi licentia; ut, *Unum* & *Unum*, licèt millies multiplicata, non faciant *Numerum* ſeu *Multitudinem*? Porrò, *Unitas* Rei eſt ejuſdem *Entitas*; quare, ſi *Multæ* fuerint, tollitur earum *Entitas*; & *Entitates* non *Enti-*

tas,

tas, loco *Unius*, constituuntur, quod Contradictorium est.

7. Ad has incitas redactus D. *Le Grand* Argumentis, ex Altissimis Causis, seu rationibus Metaphysicis, deductis, ad rationem Entis *Compositi* confugit; asseritque Multas Entitates *Simplices* posse conspirare in *Unum Ens Compositum*, & *tale Unum Ens* constituere quòd verè *Unius* ac *Entis* nomen mereatur. At, conqueror quòd non minùs insulsè vocibus [*Simplex*], & [*Compositum*] quàm vocibus [*Generatio*, *Intrinsecum*, *Unum* & *Ens*] abusus sit. Quod ut ostendam affero, quòd, Illud Ens est *Simplex* appellandum quod nullas habet *Partes*, seu Compositionem *Partium Entis* secundum rationem formalem & peculiarem *Entis*. Partes autem *Entis* formaliter ut *Ens* est, sunt *Potentia* & *Actus*, seu *Materia* & *Forma*; uti in Præliminario meò 5. §. 7. ostensum est; & (Deo volente) in Metaphysicis demonstrabitur. Unde *soli* Angeli qui sunt *Actus Puri*, seu *Formæ Subsistentes*, & Anima Separata, & nihil aliud præter ista, Entia *Simplicia*, seu Res *Simplices* nominandi sunt: Et *Deus*, ob eandem rationem, *Actus Simplicissimus*, seu *Actualitas Infinitè Pura* dicitur; eò quòd nullam imaginabilem *Compositionem* habeat, nè quidem (prout omnes Creaturæ) *Essentiæ* & *Existentiæ*, sed ipsa sui *Essentia* ejusdem *Existentia* est. Hinc manifestè cernitur, quòd nulla ex istis partibus vel particulis quæ componunt Domum vel Arborem Grandianam, & quas ipse Res *Simplices* vocat, reverâ Ens *Simplex* sit sed Ens *Compositum*: Siquidem singula componuntur ex Actu & Potentiâ, seu Materiâ & Formâ, æquè ac alia quæcunque *Corpora*, quantumvis Maxima, Composita sunt. Porrò, cùm istæ

Atque etiam vocibus [*Simplex*] & [*Compositum.*]

partes, quas vocat Res *Simplices*, utpote ex partibus quæ Enti *Propriæ* ſunt conſtantes, reverâ *Tota*, & Entia *Compoſita* ſint, & unaquæque *exiſtat* ſeu *actu* ſit; Entia proinde Carteſii (putà Domus, Arbor, &c.) erunt Entia *Decompoſita*, quia ex *multis* Entibus Compoſitis conſtant. Qualia ſi *Unum Ens* dicamus, quid impedit quò minùs procedamus Decomponendo *Multa* hujuſmodi Entia in *Unum*, donec tandem eò deveniatur ut *totus* & integer *Mundus*, qui *omnia* & pænè Infinita *Entia actu* ambitu ſuo comprehendit, non niſi *Unum* Ingens *Ens Decompoſitum* dicatur, ac *ſit*? Neque hoc gratis dictum eſt: Nam nullus erit Finis, nullus Terminus *Decomponendi* Multa Entia, quorum unumquodque eſt *Ens actu*, in *Unum*, ſi ſemel concedatur aut ponatur quòd *aliqua* Duo Entia Actu ſic coaleſcere aut conjungi poſſint, ut in vero Senſu nomen *Entis* & *Unius*, & non *Entium* ſeu *Multorum* appellationem mereantur. Unde patet evidentiſſimè quàm imperitè D. *Le Grand abuſus ſit* non ſolum voce [*Compoſitum*] & [*Simplex*,] ſed etiam [*Entis*] & [*Unius*;] quod ampliùs ex ſequentibus patebit. Uſque adeò nemo ad tractandum de Philoſophicis, præſertim de *Principiis Naturalibus*, idoneus eſſe poteſt, niſi priùs in Metaphyſicis benè verſatus fuerit: De quibus D. *Le Grand* nihil ſolidè noviſſe convincitur; cùm ipſum neque *Entis*, neque *Unius* rationes penetrare ex jam dictis liquidò demonſtratum ſit.

D. *le Grand* explicare neſcit *quo* genere *Compoſitionis*, Entia illa Actu-

8. Quid quòd in Appendice meâ, §§. 28, 29, 30, & 31. præripui Carteſianis licentiam ad ſubterfugium iſtud recurrendi. Revolvas, obſecro, Lector, quid ibi Objectum ſit; & deinde obſerves quale Reſponſum dederit D. *Le Grand*; vel potiùs an ullam omninò dederit quod

quod Difficultatis punctum attingit. Monui ipſum §. 30. vocem [*Compoſitum*] eſſe *Tranſcendentalem*; quæ per omnia Notionum Genera pervagatur, imò ad uniuſcujuſque horum inter ſe Conjunctionem applicari poſſit. Unde maximè *Æquivoca* eſt, neque ad *unam* aliquam ſignificationem, *ex ſemet*, reſtringitur. Quod tamen hîc maximé neceſſarium eſt ubi de Conſtitutione ſeu Compoſitione *Corporis*, prout *Ens* eſt, diſſeritur. Unde qui loquitur de *Compoſito*, nihil dicit omninò niſi explicet ſub *quâ* ratione *compoſitum* eſt, imò niſi aſſerat ac probet quod *Compoſitio* de quâ loquitur, ſit in ratione Entis, ſeu *Subſtantialis*. Hæc & hujuſmodi à me allegata ſunt: ſed ſurdo Cecini; nam D. *Le Grand* neque ea expendere, at nec *videre* voluit; vel ſi viderit, avertit ſtatim oculos atque animum, ne moleſta reſpondendi Cogitatio menti ipſius nimiam perturbationem crearet. Quare nonnulla mihi repetenda ſunt, aliter ſiquidem (quod maximi intererat Carteſianorum) ea in oblivione ſepelire decretum ipſi erat. Aio itaque quòd *Compoſitio* vel poteſt eſſe diverſorum Graduum in Lineâ *Entis* ſeu *Subſtantiæ*; quo modo Rationes Subſtantiæ, Corporis, Mixti, Viventis, & Animalis, inveniuntur *Compoſita*, in *Individuo*, putà *Bucephalo*, & idem dicendum de cæteris quibuſcunque Prædicamentis in ſuâ Lineâ. Vel poteſt eſſe *Compoſitio* Individui (quod ſolum propriè *Ens* eſt) cum *Exiſtentiâ* ſuâ; & ſic *Exiſtens* dicitur. Vel Generis cum Differentiâ ſibi propriâ. Vel Entis cum Quantitate, & reliquis Modis Intrinſecis: Unde Res dicitur Quanta, Diviſibilis, Longa, Rara, Denſa, Mollis, Dura, Colorata, Æqualis, Pater, &c. Vel Rei cum Modis ejus Extrinſecis; unde

alia quæ, juxta ipſum, in *Unum Ens* coaleſcunt, *compoſita* ſint.

habet quòd dicatur Agens, Patiens, in tali Loco vel Tempore, Sedens, Stans, Pileatus, Galeatus, &c. Vel denique (quod unicè ad rem noſtram ſpectat) poteſt eſſe compoſitio *Partium Entis* inter ſe, quatenus formaliter *Ens* ſeu *Unum* conſtituunt, ad quod requiritur ut neutrum eorum ſit jam in antecceſſum *Ens* ſeu *Totum*, cùm *Ens* ex harum, tanquam ſui Partium Metaphyſicarum, Compoſitione reſultet: Quales eſſe *Actum* & *Potentiam*, ſeu, (ut ii qui de Principiis Naturæ tractant, ea appellant,) *Materiam* & *Formam*, jam oſtenſum eſt. Quare, cùm vox [*Compoſiti*] adeò Varia & Confuſa ſit, ut omnia Notionum Genera *tranſcendat*, atque exinde maximè *Equivoca* ſit; quàm *crudè*, quàm *craſſe* philoſophantur Carteſiani, qui autumant ſe rem probe confeciſſe, modò poſſint allegare ac dicere multorum Entium congeriem artificialem eſſe *Unum Ens Compoſitum*, licèt nihil explicent *quo* Compoſituræ *genere*, ſeu *modo*, *Compoſitum* ſit; imò licèt *omittant* Modum illum qui ad formalem rationem *Entis* & *Unius* quoquo modò componendam *proprium* ſit atque idoneum?

Demonſtratur ulteriùs, ex definitione *Entis*, quod *duo Entia Actu* non poſſint *Unum Ens Actu* in *ullo* Compoſitionis Genere *componere*.

9. Sed è latebris ſuis evellenda ſunt iſta Contradictionum Monſtra, ut deformitatem ſuam palàm prodant. Statuendum itaque primò, Quid [*Entis*] ſeu [*Rei*] nomine ſignificatum veniat. Dico itaque *Ens* eſſe, [*Id quod poteſt exiſtere.*] Si neget, ſic demonſtrabo. [*Ens*] manifeſtè dicit ſeu ſignificat aliquid in Lineâ *eſſendi*; Sed non *dicit* nec *includit Exiſtentiam*, ſeu *Actum* Eſſendi; nam, ſic, quælibet *Creatura*, ſeu *Ens Creatum* (de quo ſolùm loquimur) includet Exiſtentiam in *Definitione* ſeu *Eſſentiâ* ſuâ; ac proinde unumquodque *Ens Creatum* eſſet Ens *Increatum*, ſeu *Deus*, cujus

jus *Exiſtentia* eſt ipſa ſuimet *Eſſentia*.. Ergo Ens (Creatum) nihil poteſt ſignificare niſi [Illud quod *poteſt* exiſtere:] Unde *Diſtincta Entia* erunt quæ *Potentiam* habent ad *Exiſtentias diverſas*; ſeu, quæ ſingula exiſtere poſſunt abſque ope Exiſtentiæ *alterius* cujuſpiam Entis. Unde (ut dictum eſt) in Acervo Lapidum, vel Frumenti Modio, ſinguli Lapides & ſingula Grana ſunt *Diſtincta Entia*, eò quòd unumquodque horum exiſtere poſſit abſque ope ſociorum Granorum vel Lapidum. Quæro jam, Num idcircò *Unum Ens*, in aliquo ſenſu, appellandum eſt Modium illud, ex eo quòd *Uniantur*, ſeu *Unum* ſint Grana illa quoad *Situm*, dum compinguntur in Unum Modium, ſeu Unum Saccum; Vel, quia nobis placet, ea [*Saccum Tritici*] appellare? Non certè. Et quare? Quia ſcilicet *Unitas* illa non deſumitur à propriâ Ratione ſeu Definitione *Entis* vel *Subſtantiæ*, ſed ab alio aliquo Notionum Genere, quòd *extra Notionem* Entis eſt; nempe, a ratione *Continentis* ſeu *Loci*, quæ Rationi *Subſtantiæ* ſeu *Entis* extranea eſt. Unde cùm Carteſiani non oſtendant, nec oſtendere poſſint quòd partes illæ integrantes Domum, vel particulæ integrantes Animal, ſint Unitæ in ratione *Entis*, ſed fateantur eas eſſe Unitas ſecundum rationem aliquam *aliam*, quæ à ratione Entis ſeu Subſtantiæ *aliena* eſt; non poſſunt aſſerere eas eſſe *Unum Ens Compoſitum* eò quòd ſecundum conſiderationem aliquam (putà Motûs, Sitûs, aut Figuræ) quæ ad rationem *Entis* non ſpectat, *componantur*. Illud etenim præcipuè advertendum, quòd præcipua Quæſtio hic agitata, ſit de ipsâ *Compoſiturâ*; & ſub *quâ ratione* Compoſitionis uniantur particulæ illæ quarum unaquæque eſt *Ens actu diſtinctum*; nam *Ens Compoſi-*

tum vel debet ſignificare illud quòd componitur ſub ratione *Entis*, aut Compoſitum illud dici non poteſt eſſe *Ens* ſed *Entia*; quæ aliquo *alio* modo, ſeu ſecundum rationem alicujus *Accidentis*, uniuntur. Qualia ſi *Unum Ens Compoſitum* appellare liceat, tunc omnes homines qui degunt, in unâ eâdémque Natione; vel ſub uno eodémque regimine, vel qui uno eodémque veſtium genere (putà Diploide, vel Calceis) utuntur, vel etiam qui vivunt in uno eodémque Mundo, *Unum Ens Compoſitum*, vel *Unus Homo Compoſitus*, dicendi ſunt. Quod dictu abſurdiſſimum eſſe nemo non videt.

Idem demonſtratur ex eo quòd unumquodque ex Entibus (ut vocant) *Simplicibus* Carteſianis, erat *Complete* Ens & Unum ante Compoſitionem.

10. Porrò, cùm *Ens* ſit *Illud quod poteſt exiſtere*; omne illud (ut dictum eſt) erit *Completum* in ratione *Entis*, quod *completè* Capax eſt Exiſtentiæ; Cùm itaque ſingulæ illæ partes componentes Domum, & ſingulæ illæ Elementorum Carteſianorum particulæ quæ compaginant Animal, erant *completè* Capaces exiſtendi, eò quòd de facto *exiſtant*, ſeu ſaltem exiſtere *poſſint*; &, cùm quicquid ſuperadditur *Completioni* Entis, ſit *extra* Rationem *Entis* ſeu *Extraneum* & *Accidentale* ei; nec proinde ad rationem Entis *quoquo modo* ſpectet; ſequitur, Compoſituram hujuſmodi Entium *Completorum*, quæ *ſuperaddita* eſt, nullo modo ad rationem Entis pertinere, ſed eſſe ab ea *prorſus Alienam*: Quare, Notio *Entis Compoſiti* ex pluribus Entibus quod *Unum Ens* ſit, Fictitia omninò eſt & Chimærica. Confirmatur ex eo quòd *Ens* ſit *Unum*; unde quòd eſt *Completum* in ratione Entis, eſt etiam *Completum* in ratione *Unius*; reſtringendo, ut hîc oportet, æquivocum ſenſum vocis iſtius Tranſcendentis [*Unum*] ad Unitatem Entitativam ſeu *Subſtantialem*.

lem. Quare, cùm ſingulæ partes quæ integrant Domum, & ſingulæ illæ Elementorum Carteſianorum particulæ quæ integrant Animal, erant *Unæ* ante iſtam Compoſitionem, illa Compoſitio quæ ſuperadditur, eſt *extra* totam rationem *Unius*; &, quod ſequitur, *Unum Ens Compoſitum* ex pluribus illis *Entibus actu* jam dictis, erit *Unum* & *non Unum*, quod Chimæricum eſt & Impoſſibile.

Ex dictis deducitur hoc Corollarium evidentiſſimum; ſcilicèt, quòd ponere *Unum* Ens Compoſitum, cujus partes non *uniantur* ſeu *componantur* ſecundum rationem ſeu notionem *Entis*, ſed tantùm ſecundum rationem alicujus *Modi* Entis, ſeu alicujus *Accidentis* (putà Quantitatis, Figuræ, Actionis, & hujuſmodi) eſt valdè abſurdum; imò, æque Imperitum atque eſt confundere, notionem *Rei* ſeu *Entis*, cum ratione alicujus *Modi* Entis, ſeu *Accidentis*; quod omnes Humani Generis Conceptus, omnemque Diſcurrendi poſſibilitatem omninò pervertit. Hoc unicum Argumentum Logico-Metaphyſicum adjicere liceat. Particulæ illæ, (ſeu, ut vocant, Res *Simplices*) ſunt *Individua* ſeu *Singularia*. Ergo, habent *Ultimam* Determinationem poſſibilem in ratione *Entis*. Cùm itaque Prædicatum habeat rationem *Determinativi* in ordine ad Subjectum ſuum, nullum Prædicatum poteſt appingi talibus Subjectis, in ratione *Entis*. Quare [*Compoſitum*] non poteſt *dici* de iſtis Singularibus, in ratione Entis, tanquam Prædicatum Eſſentiale. Quare, illud quod conſtat ex Singularibus, in nullâ ratione poteſt dici aut *Ens* aut *Unum* Compoſitum, niſi in ratione deſumptâ ab aliquo *Accidente*. Ergo, Totum illud quòd componi dicunt ex Singularibus *accidentali-*

ter Compositis; *Ens* Compositum dici non potest.

Principia *nostra* Naturalia nihil omninò *gratis supponunt*; sed sunt vel *per-notæ*, vel Evidentissimè *Demonstrabilia.*

11. Videamus jam an plus candoris adhibuerit in Sensu quem attribuit voci [*Divisibilitas.*] Quantitas duobus modis considerari potest. Vel, prout *abstrahit a Subjecto* Naturali cui inest; & sic *Extensio* dicitur; vel prout *afficit Subjectum*, & (cùm sit Affectio Corporis omnium Prima) illud disponit ad *primam* Operationem in Naturâ, seu ad *Divisionem.* Nam, cùm (uti ex utrâque parte conceditur) nullum detur Vacuum, satis patet nullum Motum fieri posse nisi cum unum corpus *dividit* aliud. Unde, Prima & Formalissima ratio Quantitatis prout sub *Physicâ* contemplatione cadit, est *Divisibilitas*; exinde siquidem habet id quod *primò Motum* seu *Divisum* est (quodcunque demùm id fuerit) ut sit formaliter capax *Primæ* in Naturâ *Operationis*, seu (quod tantundem est) sit *Divisibile.* Pergamus: Sicut impossibile est ut Homo vel Animal *in communi* existant in Naturâ, sed requiritur ut sint Determinatè *Hoc* vel *Illud*: pari ratione non poterit aliquid in Naturâ esse *Divisibile* (quæ est Notio *Communis*) quin necesse est ut sit *hoc* vel *illo modo*, seu *Gradu*, Divisibile: cùm vel ex ipsis Terminis manifestum sit, id quod non *hoc* vel *illo modo* Divisibile est, *nullo modo*, seu *non omninò*, Divisibile esse. Porrò, *Determinatio* omnis Intrinseca cujusvis Rationis *Communis* fit per *Differentias*: Differentias verò omnes Intrinsecas non posse esse alias, quàm *plus* vel *minus* de Communi Ratione, demonstratur evidentissimè in *Methodo* meâ, Lib. 1. Lect. 3. §. 2. Quare, nullum Divisibile *existere* poterit in Naturâ nisi sit aliquo *determinato modo* Divisibile; hoc est, vel *magis*

vel

vel *minùs* Divisibile. Quod autem *magis* Divisibile est appellamus *Rarum*; (ut patet in Aëre:) quòd *minùs*, *Densum*. Oportet itaque ut quicquid ponitur *existere* in Naturâ, sit vel *Rarum* vel *Densum*. Sunt itaque hæ Qualitates; *Raritas* scilicet & *Densitas* omnium aliarum *Primæ*: Et, cùm Primò & Intrinsecè afficiant Subjectum Naturale, seu *Materiam*, tanquam Primarii ejus *Modi*, eæ proinde maximè omnium *Intrinsecæ* erunt cuilibet Corpori in Naturâ, sive illud Elementum aliquod sit, sive *Mixtum* vel *Demixtum* fuerit; atque ad *Intimam* ejusdem *Constitutionem* præcipuè spectant, uti vel hinc demonstratur.

Antequam procedamus, obiter Lectores rogo, ut perpendant hæc jam dicta Peripateticorum Nostrorum *Principia Naturalia*; in quibus nihil *gratis* assumptum aut *Suppositum* est; sed omnia ex Primis ferè Principiis *Demonstrabilia*, si non (quantum in discursu adeò perbrevi licet) jam *Demonstrata*: Unde, quàm immane *noster* Scientiam Physicam tradendi modus præluceat *Cartesiano*, cuivis Logices perito manifestum erit.

12. Licet negare non possint Cartesiani quòd *Divisio* sit *Prima Operatio Naturalis*, eò quòd tria illa ipsorum Elementa ex *Divisione* Materiæ suæ Primæ, fieri asserunt; nec proinde quòd *Divisibilitas*, seu Potentia ad hoc ut dividatur, sit *Prima* ac *Propriissima* Materiæ illius Affectio prout *Naturam* spectat, ac proinde de eâ tractare *Primò* & *Principaliter* ipsis incumbat; adeò nihilominùs dediti atque fixi sunt omnem *Naturam* ad *Mathematicen* reducere, ut nihil ferè aliud crepent atque in discursibus ingeminent præter unam *Extensionem*; quæ, consideratio Quantitatis est quatenus *abstrahit*

Abutitur D. *le Grand* vocibus [*Divisibilitas*] & [*Physica.*]

strahit a Subjecto, Divisione, Motúque? Quem Neglectum si quis benè perpenderit, videbit nullum Argumentum loculentius esse ad evincendum quòd Methodo omninò præternaturali Principia sua Physica ponant. Quippe Materia illa potuit esse *Extensa* licèt non omninò *Divisibilis* fuisset; uti in Atomis Epicureis cernere licet. Quamvis hæc ita se habeant, nihilominùs *obiter* tantùm & quàm brevissimè ejus mentionem facit D. *Le Grand*, & explicat Divisibilitatem illius hoc modo, scilicet, quòd sit *Divisibilis in semper Divisibilia*; quæ omninò Notio est Divisibilitatis Mathematicæ; & nullo modo ad *Physicæ* Divisibilitatis rationem spectat; vel quòd sit magis & minùs, hoc est, *facilius* aut *difficilius* Divisibilis ab Agente Naturali. Dicet, cùm *Deus* sit Materiæ Divisor, & *infinitæ* Potentiæ, tantundem est ipsi utrùm facilior Divisu, an Difficilior sit. Regero: primò, demonstratum esse *Deum* non esse *Immediatam Motûs Causam*. Secundò; quæstio non est hîc de Divisibilitate in ordine ad Deum, tanquam Agentem; sed, in ordine ad *Existentiam* Materiæ; quæ non poterit *existere* seu *esse* Divisibilis omninò, nisi sit, *in se*, seu in Constitutione suâ *Intrinseca*, determinatè *hoc* vel *illo modo*, seu *hoc* vel *illo gradu* Divisibilis; cùm Divisibile *in Communi* (ut dictum est) Existentiæ sit *Incapax*. Tertiò, licèt Deus, secundum illos, dividat Materiam in majores partes, tamen postea Una ex illis partibus, tanquam Causa Secunda, seu Agens Naturale, *Affrictione* suâ dividit Alias; è quâ Tria ipsorum Elementa elaborantur. Quæstio itaque est, utrùm Materiæ illius partes Majores quæ postea dividuntur ab aliis, vel à se invicem, sint magis an minùs Divisibiles;

les; hoc est *Raræ* an *Densæ*. *Neutrum* horum dicere ipsi integrum est; & tamen *unum* horum dictu est necessarium. Nam, si *Raræ* sunt nec Soliditatem & Firmitatem habeant, tunc ex *Affrictione* non erunt aptæ ut in distinctas Figuras *reducentur*, vel, ut Figuras illas *retineant*; sed, ad horum effectuum Priorem *Frinabilitas* aliquâ requiritur, ad Posteriorem aliquis *Consistentiæ* gradus. Cùm itaque ex rationibus jam dictis constet, oportere Materiam illam aut *Raram* esse aut *Densam*, vel (ut nos sentimus) partim *una* horum, partim *altera*; provocandi sunt Cartesiani ut explanent nobis in quo consistat illa *Raritatis* & *Densitatis* ratio. Quod impossibile est ipsis Explicare antecedenter ad fabricationem Elementorum suorum; è quorum Compositione omnes qualitates fieri asserunt. Qualiter nos Raritatem & Densitatem explicamus, in Appendice nostrâ, §§. 23, 24, 25, 26. jam dictum est. Abuntur itaque tum Notione [*Divisibilitatis*,] tum etiam [*Physicæ*;] dum loco *Physicæ* Affectionis, *Mathematicam* supponunt, quæ nullam propriam Potentiam ad *Divisionem* dicit; & utramque invicem confundunt.

13. Porrò quàm egregiè abutantur D. *Le Grand* & Cartesiani notione *Materiæ* ex hoc discursu patebit manifestissimè. Consentiunt Philosophi, imò Cartesiani ipsi (saltem *verbo tenus*) omne Ens Naturale constitui ex *Materiâ* & *Formâ*; hoc est, *Ens* illud habere in se nonnihil quod correspondet Notioni *Materiæ*, itémque nonnihil quod correspondet rationi *Formæ*; &, quòd Forma habeat rationem *Actûs* seu *Determinativi*, *Materia* autem rationem *Potentiæ* seu *Determinabilis*. Quare istæ duæ Rationes seu Notiones liquidò ab invicem *secerni*

Quàm multiplicitur abutatur etiam voce [*Materiæ.*]

cerni ſeu *dividi* oportet. Nam, omnes mentis noſtræ Conceptus Abſtracti maximè *coneiſi* ſunt, ita ut eorum *Unus nullo modo* poſſit eſſe *alius*; Quare, cùm notio *Potentiæ* ſit Rei quatenus eſt *merè Determinabilis* in ratione Entis, nec proinde *ullam omninò* Determinationem, ſive Subſtantialem ſive Accidentalem in ſe habeat; (unde *Ariſtoteles* dixit, *Materiam primam neque eſſe Quid, nec Quantum, nec Quale, neque aliquid aliud eorum quibus Ens determinatur;*) *Forma* autem habet rationem *Actûs*, adeò ut nullam prorſus rationem Potentiæ (in ſuo genere, hoc eſt ſub ratione *Phyſicâ*) in ſe includat. Hæc (inquam) cum clarè pateant, videamus jam qualem nobis exhibeant *Materiam* Carteſiani. Primò, Aiunt Materiam ſuam Primam eſſe *Extenſam*, hoc eſt, habere in ſe Extenſionem ſeu Quantitatem. Quare, Materia ſua prima, quæ debuit eſſe *Pura Potentia*, habet in ſe *Actum* ſeu *Formam Accidentalem*, ſcilicet, *Quantitatem*; quæ cùm ſit *Modus* tantum *Entis*, ſupponit Formam *Primariam* ſeu *Subſtantialem*; aliter Quantitas illa non eſſet *Modus Entis*, niſi Subjectum ipſius quod aliquo modo Determinat, jam *Ens* eſſet, Secundò, ponunt eam *Creari à Deo*; hoc eſt, recipere *Eſſe*, ſeu *Exiſtere*; quare, cùm [*id quod poteſt Eſſe*] *Ens* ſit, Materia illa *Ens* erit, ſeu Corpus quoddam; licèt non tot modificationibus determinatum, quot aliqua alia. Denique, *Materia illa prima* Carteſiana eſt *Ens Completum*: Nam [*Ens,*] Completum eſt *in ratione Entis* quando Completè *capax eſt Exiſtendi*. Materia autem, juxta illos, erat Completè capax exiſtendi, quia *de facto exiſtebat* quando Deus illam creavit ſeu dedit ei *eſſe*. Quod deſtruit omninò rationem *Materiæ*; id-

que

que ex duplice Capite; 1. quia tollit ab eâ rationem meræ *Potentiæ*: 2. quia tollit ab eâ rationem *Partis Entis*, & facit eam *Ens Completum*, seu *Totum*. Cui adde quòd repugnet Primis Principiis in alio etiam respectu; quia ponit id quod maximè *Determinabile*, seu maximè *Indeterminatum* est, esse *completè Determinatum*; aliter siquidem non potuit esse *Capax Existendi*, seu Capax ut *Crearetur*, quod nulli rei non *completè* determinatæ in lineâ *Entis* competere potest.

14. Ejusdem farinæ est quòd ponit Materiam suam Primam, neque esse Densam nec Raram, Duram aut Mollem, Calidam aut Frigidam, vel ullâ omninò Qualitate affectam: cùm tamen communis Humani Generis Sensus clamet, impossibile esse imaginari rem Materialem, modò *existat*, non esse vel horum Contrariorum *unum* vel *alterum*. Tricatur miserrimè dum subterfugere sperat, allegando nos posse habere *Conceptum* de Extensione seu de Re præcisè *quatenùs Extensâ*, & tamen *abstrahere* ab illis Qualitatibus *formaliter* consideratis, quod nemo negat. Sed quæstio hîc est de re quæ olim *Creata* erat seu *existebat*; & utrum potuit *existere in re* absque eo quòd horum contrariorum uno vel altero necessariò afficiatur. Cogitemus modò, si quis eo momento quo Creata erat Materia illa, eam digito tetigisset, num *resisteret tactui* necne? nam unum horum necessario dicendum. Si resistat, tum *Dura* est, ac proinde *Densa*; si non resistat, tum *Mollis* esset, vel certè valdè *Rara*. Suppar huic est, quòd alleget §. 5. Aristotelem idem fecisse dum definivit, seu potiùs negativè quasi descripsit Materiam Primam esse *neque Quid*, *neque Quantum*, *neque Quale*,

Quàm inepte Cartesiani ponant *Materiam* suam *existere*, & tamen neque esse *Raram* nec *non-Raram*, seu *Densam*; nec *Duram*, neque *non-Duram*, seu *Mollem*, &c.

Quale, neque aliquid aliud eorum quibus Ens determinatur. At quàm diſpar ſit Materiæ Primæ *Ariſtotelicæ* ratio inde liquet, quòd Ariſtoteles non poſuerit Materiam *ſatam* exiſtendi eſſe Capacem, ſeu eſſe *Ens*; ſed eſſe tantummodò *Rem* ſeu *Corpus* inadæquatè *conceptum* ſecundùm quòd *poſſit eſſe aliud Ens*; ſeu ut eſt *Potentia* ad rationem *Entis* præcisè ut *Ens* eſt. Quæ, cùm ſit omnium *Prima*, neceſſe eſt ut illa ratio quæ eſt Potentialis ad rationem *Entis*, ſit etiam Potentialis ad *Formas* omnes *Accidentales* quæ rationem Entis *conſequuntur*, eámque ſupponunt. Quæ omnia prorſus contraria ſunt in Materiâ Primâ Carteſianâ; quæ, cùm ponatur *Creari* ſeu *eſſe*, debet eſſe *Ens*; ac proinde habere id quo conſtituitur *Ens*, ſeu *Subſtantia* quædam; ſcilicet, *Formam Subſtantialem* ſeu *Eſſentialem*; indéque Complexionem Accidentium (aliqualium ſaltem;) in quibus utique, ut *Determinativis*, ratio Formæ Subſtantialis conſiſtit. Quæ omnia Hypotheſi Carteſianæ dum diſcurrunt de Materiâ ſuâ, minimè quadrant, ſed eidem omninò contradicunt atque adverſantur.

Dum Carteſiani abuntur notionibus *Denſitatis & Raritatis*, totam Naturam pervertunt; & totum Mundum non niſi *Unum Ens* Eſſentialiter ſtatuunt.

15. Quid de *Raritate* ac Denſitate dicam, quas Primas eſſe Quantitatis (Phyſicè acceptæ, ſeu *Diviſibilitatis*) Differentias §. 11. oſtenſum eſt; indéque aptas facere Materiam ſeu Subjectum cui inſunt *magis* aut *minùs Diviſibile*. Quæ Differentiæ, cùm Primariæ ſint, proinde ad Primam Mundi Materiam ſpectare debent, & ad Primam Operationem in Naturâ (ſcilicet Diviſionem) quæ circa illam Materiam ſeu *Subjectum* exercetur. Has Qualitates explicat D. *Le Grand* per interſertionem particularum Minimarum Materiæ ſuæ; quam tamen Materiam neque eſſe *Raram* aut *Denſam*;

Denſam aſſerit; unde reverâ ponit nullam particulam in Univerſo, ac proinde nihil omninò vel eſſe Rarum vel Denſum; quod omnem Veras Denſitatis & Raritatis naturas è Mundo ablegat. Citat locum Ariſtotelis §. 6. quem ait eſſe *notatu digniſſimum*, cùm nihil omninò ad rem ſit: quia ſolummodò probat Raritatem & Denſitatem eſſe *Qualitates*; quod nemo negat; nam omnes Qualitates Naturales profluere ex Quantitate (Phyſicè acceptâ) ſeu Diviſibilitate variè modificatâ conſtanter aſſerimus. Propiùs ad Quæſtionem fuiſſet, allegare locum illum Ariſtotelis, Lib. Phyſ. 8. cap. 7. Πάντων δ' παθημάτων ἀρχὴ πύκνωσις καὶ μάνωσις, &c. *Omnium Paſſionum* (hoc eſt, Affectionum ſeu Determinationum) *Principium ſunt Denſitas & Raritas. Etenim Grave & Leve, & Molle & Durum, & Calidum & Frigidum, Denſitates eſſe videntur ac Raritates quædam. Denſitas autem & Raritas, Congregatio & Diſgregatio, ſecundùm quas Generatio & Corruptio Subſtantiarum dicitur.* Ubi videtur, (quod *notatu* longè *dignius eſt*,) tum *Raritatem* & *Denſitatem* eſſe *Primarias* in Naturâ *Affectiones*, è quibus reliquæ omnes *Qualitates* ac *Determinationes* Materiæ oriuntur; tum etiam Mutationem illam maximè Formalem atque Intrinſecam (Generationem ſcilicet) non *ſolùm* per Artificialem Diſpoſitionem partium, quæ conſideratio *Extrinſeca* eſt, fieri ait, ſed etiam ſecundùm *Primarias* illas & maximè *Intimas* Qualitates, Denſitatem & Raritatem: In his *Primariis* Qualitatibus, atque in variis iſtarum modificationibus Intrinſecis conſiſtit *Principaliter* ac *Primariò* Complexio illa Accidentium quæ tanquam *Forma Subſtantialis* ſeu *Eſſentialis* quodlibet Ens Naturale conſtituit. His mutatis, uſque ad

ad talem Gradum ut ad eandem Operationem Primariam edendam Compoſitum non ampliùs ſit idoneum, ſit Intrinſeca & Formalis, imò Eſſentialis Mutatio *Rei* ſeu *Entis* in aliam ei Succedaneum; Quam Mutationem vocamus *Generationem* Unius Entis ſeu Corporis Naturalis, & *Corruptionem* alterius. Hanc, inquam Quantitatis Conſiderationem, Naturis Corporum omnium *maximè Intrinſecam*, dum Carteſiani negligunt, eámque averſantur; *Phyſicam* Contemplationem ſeu Scientiam in *Mathematicam* vertêrunt: Et tamen Mutationem *Formalem* & *Intrinſecam* Entium Naturalium, quam Bonitas Naturæ Rationalis nos docet, denegare ſibi integrum non exiſtimantes, *verba dant* Lectoribus; &, ex eo quòd ſecundùm aliqua *Extrinſeca* Res mutatur, Extrinſecam iſtam Mutationem pro Intrinſecâ nobis venditant. Qualitates *Denſitatis* & Raritatis, quæ *Diviſibilitatis* primæ ſunt Differentiæ, eámque per *plus* & *minùs* dividunt, agnoſcere nolunt; licèt Quantitati, (*Phyſicæ* acceptæ) tanquam Genere ſeu Baſi ſuæ *immediatè* innitantur, eíque maximè Affines ſint; vel potiùs naturæ illius ſunt intextæ, imò *Intimam* Rerum Materialium Naturam *primariò* ingrediuntur: ſed ejus loco *Motus*, *Figuras*, *Situſque*, quales ipſis comminiſci placuerit, ſupponant: Licet mille Incommoda perſentiant, & mille Abſurditates, Gratuitas Suppoſitiones, & Principia, neque *ex-ſe-* (ut debeant) *Evidentia*, neque ad Evidentiam reducibilia, ponere cogantur: & *Voluntatem Divinam* importunè & nimis audacter, in auxilium ſibi gratis advocare adacti ſint. E quâ doctrinâ, nulla Corpora, in toto Mundo, *Eſſentialiter* ſeu *Intrinſecè* diverſa erunt, ſed omnia differunt *Accidentaliter*

dentaliter tantùm; seu quoad *Dispositionem*, vel *Extrinsecam* particularum (seu multorum Entium) *Positionem*, ex *Translatione* earum (ut ait) factam. Unde sequetur, quòd, juxta hanc *Mathematico-Physicam* doctrinam, quæ Scientias toto genere Diversas in unam Chimæricam Scientiam (seu potiùs *Inscientiam*) compingit, tota *Rerum* Universitas non nisi *Unum Ingens Ens*, seu *Una Res* Essentialiter erit.

16. Forsan, Methodus ista reducendi Objectiones Adversarii ad Capita quædam, & sententiam propriam firmissimis rationibus stabiliendi, sive Lectoris emolumentum, sive Veritatis Victoriam spectemus, optima est *Confutandi* via; utpote quâ nulla alia vel Compendiosior vel Efficacior excogitari poterit. Hinc quippe fiet ut in antecessum, idque solidissimè, occursum erit quibuslibet Objectionibus. Imò inde fore, ut in meram Futilitatem gratuitam ac nullis Principiis fultam, dissipentur atque evanescant. Quâ proinde Methodo tum in Appendice meâ, tum etiam in hac Replicâ meâ insistendum duxi. Nihilominùs, licèt vix quicquam superfit, cui non jam responsum sit, tamen, ne conqueratur D. *Le Grand*, vel voluntarias Assertiones suas à me neglectas, præcipuas earum, quæ ad Quæstionem quoquomodò spectare videntur, seligemus, & responsione quam nullatenus merentur, dignabimur. Dixi, [*Voluntarias*] nam citiùs *Nodum in scirpo* invenias quàm quicquam in *dictis* ipsius reperias quod *Rationis* aut *Argumenti* vim habeat.

Stabilire doctrinam suam firmissimis Principiis valdè confert ad Confutationem.

Probat Principia Carteſiana non eſſe *Suppoſitiones*, hoc & illud *Interrogando.*

17. Objeceram Principia Carteſiana neque eſſe *ex-ſe-Evidentia* (ut oportebat) at nec *Probata*. Vindicationem ipſius, hac ex parte, ſuſcipit §. 2. & quidem ſtrenuam. Expectas fortaſſe, Lector, oſtenſurum D. *Le Grand* Principia Carteſii non eſſe *gratis ſuppoſita*, ſed *Evidentia*. [*Quid*, inquit, *ſi Carteſius Extenſionem ipſam in quaſlibet partes Diviſibilem, Materiam ſuam Primam conſtituiſſe doceat?*] Regero; Tunc ſtultiſſimè atque impertiſſimè fecit. Nam primò, ponit Materiam ſuam Primam habuiſſe *Exiſtentiam*, utpote à Deo *Creatam*; hoc eſt, eſſe *Ens* ſeu *Rem* quandam; Deinde, ponit eam eſſe *ipſam Extenſionem*; hoc eſt, non eſſe *Ens* ſeu *Rem*, ſed *Modum* Rei; quæ duo *toto genere* diſtant. Unde Primum illud Carteſii Principium, eſt mera *Contradictio*. Pergit; [*Quid ſi aſſeruit Eam ab Illo qui omnia poteſt, in varias partes diviſam fuiſſe?* &c.] Tunc ridiculè fecit, tum quia, ex eo quòd Deus *potuit* hoc facere, illum *actu* id *fecisſe* inferre videtur; tum quia pro libitu *aſſeruit*, & non *probavit* illud quod non erat *ex-ſe-Evidens*, ac proinde *probatione indigebat*: Quod officio Philoſophi indigniſſimum eſt. Quid quòd demonſtrari poteſt, indignum eſſe Deo, cujus Eſſentia eſt *Puriſſima Exiſtentia*, ut ſit *Immediata Motûs Cauſa*. Procedit, [Quid ſi *unam & eandem eſſe Corporum omnium Materiam, omneſque quas in iis reperiamus Differentias* (ſcilicet, Molem, Figuram, Situm, Motum & Quietem) *in ſolâ hâc partium Earum Modificatione ſeu Conſtitutione conſiſtere?*] Reſpondeo: Debuit primò *oſtendere* tum quòd ulla ſit talis Materia qualem effinxerat, multis licèt Contradictionibus (uti tum hîc, tam §. 13. oſtenſum eſt) implicata: tum Materiam

riam illam *sic* Divisam ac Motam fuisse à Deo prout is voluit; Aliter siquidem omnia quæ dictis *Suppositionibus* gratuitis nituntur ac superstruuntur, (ut ex communissimis veræ Logices Regulis demonstratur,) nemine impellente, sed suâpte sponte, ruunt ac in fumum abeunt. At *luculenter evicit Mundum & omnem Apparatum ejus ex hîs Principiis produci potuisse*; indéque *Gloriam* ipsius à nemine *imminuendam* vaticinatur. Certè malevolus est, & ab omnibus Candoris amantibus meritò abhominandus, qui non laudet ac summoperè miretur incomparabile illud ac pænè Divinum Cartesii *Ingenium*; qui texturâ adeò eleganti, *juxta Principia sua* fictitia, Mundum concinnavit. At nihilo plus hinc ipsi ad *Philosophi* dignitatem jure aspirare licet. Cùm *Philosophi* laus non metienda sit à Conclusionum varietate atque inter se Cohærentiâ; sed, ex eò quòd Solidissima atque Evidentissima *ponat*, non *Supponat Principia*; è quibus cunctæ quas deducit Conclusiones, pendeant, & ab iis *solùm* vim suam habeant. Sicut non tam laudandus est Architectus, quòd Superstructuras elegantes ac multâ arte elaboratas compegerit, vel (ut ait D. *Le Grand*) curârit ut partes illæ *quodam lepore sibi consentiant*, quàm ut *Fundamenta* jaciat *Solida*, & sustentando Ædificio idonea; imò, si hoc neglexerit, summoperè vituperandus, neque Architecti nomine verè dignus habendus est. Quisquis legit *Gassendum*, videbit quòd etiam Epicurus, per *Plenum* & *Vacuum*, omnium Corporum Naturalium constitutionem explicârit; & cuncta Effectuum in Naturâ Phænomena, *juxta Principia sua*, ingeniosè solvere prætenderit. Nihilominùs, cùm Principia *gratuita* posuerit, licèt *Epicurus*, cæ-

tera, erat certè Vir Magnus, nihilò propiùs ad Veri *Philoſophi* nomen ac Dignitatem evehi debebit: niſi peſſimè vocibus abuti velimus illóſque *Philoſophorum*, ſeu Veritatis ac Sapientiæ proſequendæ *Hercum*, nomenclaturâ ornare, qui Veritati bellum indicunt; dum Falſitatis ac Mendacii Principia ſtatuunt, & Erroris Semina pro virili ſerunt ſpargúntque. Interim, vides Lector, quàm ſtrenuè D. *Le Grand* Carteſiana Principia vindicaverit! Interrogando ſcilicet Quæſtiones ad quas quid reſpondendum nobis eſſet jam ante certò noverat: neque interim oſtendendo quòd vel illa Pſeudo-Principia verè *Principiorum* nomine digna eſſent; vel probando, pro Logicâ quâ pollet, quòd *Gratuitæ Suppoſitiones* locum Principiorum *per-ſe-notorum* ſupplere debeant.

Quam perperàm ponit *Converſionem* abſque Termino *à quo*, vel Termino *ad quem*.

18. Triumphat §. 3. quòd Carteſianis imputârim nullam, juxta ipſorum doctrinam, dari Converſionem Subſtantialem unius Entis ſeu Corporis Naturalis in Aliud, cùm tamen *idem ab ipſomet jam dictum fuerit* his verbis; ſcilicet, [*Converſio eſt Actio, quâ Res una in Aliam tranſit*, &c.] Quòd *dederit* nobis *verba* iſta nunquam objeci; ſed, quòd vera Carteſianorum doctrina his verbis quadret, id ſanè pernego. Nam Converſio illa quam agnoſcit non habet pro Termino ſuâ *Unam Rem* prout hîc profitetur; nec Terminus ad quem *Aliam Rem*; ſed pænè *Infinitas Res*, nempe Particulas ſuas Elementarias compactas, ac cum Infinitis aliis Particulis *modo Accidentali* compaginatas: quare, nullæ ex iſtis *Particulis* ſeu *Rebus*, *tranſeunt* in aliam particulam, ſed tantùm alio modo omnes *diſponuntur*; quod, quàm longiſſimè diſtet à Muratione Subſtantiali ſuperiùs oſtenſum eſt. Verum quidem eſt quod Mutatio

Mo-

Modificationum eſſet Converſio Accidentalis niſi quòd deſit *Subjectum*; ſcilicet, *Una* aliqua *Res* quæ, manens eadem quod rationem *Entis*, Alteretur quoad rationem alicujus Modi: At tale Subjectum omninò hîc deeſt. Conatur oſtendere quod Materia ſua Prima ſit tale Subjectum: quod frivolum eſt & prorſus abſonum. Nam Subjectum in caſu noſtro debet eſſe aliquod Corpus Naturale, putà Lignum, quod idem licèt maneat quoad Subſtantiam, variatur tamen ſecundùm aliquem Modum: quale Subjectum ſuum *eſſe Unam Rem* ſuperiùs negatur, & *non eſſe* demonſtratur; imò tale ſubjectum eſſe Materiam illam Primam ipſimet negabunt. Quid quòd Materia, nunquam manet idem Ens, cùm, juxta ipſos, in minores ac minores partes uſque dividatur.

19. Contendit §. 12. quòd Carteſius non nimis Mathematicæ innixus ſuerit: cùm tamen ipſemet Integr. corp. Philoſoph. Part. 2. cap. 3. §. 24. fateatur diſertè *Philoſophiam Naturalem eſſe Mathematices partem*: Unde Principia Carteſii Naturalia non potuerunt eſſe nimis *innixa Mathematicæ*, niſi dicatur illa à propriis ipſorum Naturis deviâſſe. Contendit etiam *Principia* ejuſdem *non eſſe Hypothetica habenda*; & tamen enumerat ibidem, parentheſi ſatis prolixâ, Theſes complures quas *ſuppoſuit*, non autem ullibi *probavit*. At ſaltem *bona Verba dat*, quaſi ſuadere nobis cupiens, ut, pro humanitate noſtrâ, ea admittere velimus; & innuit nos non habendos eſſe pro viris *Modeſtis & Intelligentibus*, niſi Rationes quare illas *ſuppoſuit ad Res Naturales melius explicandas admittamus*; imò ait quòd *cuivis pateat Materiam certo modo fuiſſe à Deo Diviſam Motámque, eò quòd Theſis iſta ſit in ſe Simplex, Clara & Evidens.*

Defendit Carteſium à *Suppoſendo* Principia ſua, enumerando Principia quæ *ſuppoſuit*.

At unde id perſuadebit mihi cui certò perſuaſum eſt quòd *contraria* huic Poſitio ſit Demonſtrabilis? Vel cuiquam homini qui Logicam didicit; à quâ docemur Propoſitionem nullam eſſe *in ſe* Claram atque Evidentem, niſi Termini ejuſdem ſint *ex-ſe-Connexi*, unde habeat, vel habere poſſit, quod ſit *per-ſe-nota*, ſeu *in-ſe-Clara*. Nugatur dum allegat quòd *etiam Mathematica ſua habeat Poſtulata*; Hæc etenim non ad *Speculativam* Cognitionem Veritatis, tanquam *Principia*; ſed, ad *Praxim*, tanquam aliquid *faciendum*, referuntur.

Quàm ſolidè D. *Le Grand* ſe purgat à Contradictionibus incidendo in *alias* longè pejores.

20. Objeci D. *Le Grand*, §. 36. quòd Contradixerit ſibi ipſi dum Contrarias Qualitates Materiæ ſuæ, tribuerit; neque enim Affrictione abradi potuerunt particulæ illæ Elementares, niſi aliquatenùs *Duræ* fuiſſent; nec implere omnia interſtitia, ſingulis pænè momentis, niſi ſint ſummo gradu *Molles* & *Flexiles*, ſeu quod perinde eſt, *Fluidæ*; quâ qualitate niſi prædita ſit, non poteſt ita expedite ſe accommodare quibuſlibet Figuris ita ut ſpatia illa interjecta, ad prohibendum Vacuum, repleat. Reſpondet, & multa oggerit de Mole & Magnitudine; cùm de *Figuris* tantum Particularum, & de celeri illâ *Flexibilitate* earum, difficultas procedit. Imaginemur itaque mille Myriadas ejuſmodi particularum, quarum multæ *diverſas Figuras* habent, ita ut una alteri non examuſſim quadrat, ſingulis momentis, in dato ſpatio agitari; dico quòd, modò Figuras ſuas *Rotundas*, *Striatas*, &c. vel pro unico momento retineant, impoſſibile eſſe, niſi Fluidæ ſint, eas adeò uſque ad indiviſibile ſe aptare atque accommodare aliis, ut nè minimum quidem angulum relinquant qui non adæquatè repleatur. Dicit, minutias illas eſſe

Indefinitæ

Indefinitæ parvitatis, unde habent quòd *angustiæ illas impleant*. *Effugium* est istud non *Ratio*. Nam, cùm partes Elementi sui Primi rotundæ sint, & res rotundæ figuræ sibi applicatæ angulos relinquant; parùm refert utrum sint *Magnæ* an *Parvæ*; cùm applicatio earum sibi invicem eadem futura sit. Porrò, si non pro unico momento retineant Figuras suas, quare ponit Elementa sua *Figuris* esse *diversa*? Si retineant, tunc loqui de *Indeterminatâ Parvitate*, contradictionem sonat: Nam quicquid *existit* vel *existere potest*, sive sit *Res* sive *Modus Rei*, est (pro eo tempore in quo existit) *Determinatum*: neque magis existere poterit Quantitas aliqua *Permanens* (seu *Magnitudo*) quæ non sit Determinatè *Hæc* vel *Illa*, quàm Homo qui non sit determinatè *hic* vel *ille*, seu Homo *in particulari*. Quare Chimærica & Contradictoria, est *Parvitas* illa *Indeterminata* cujus meminit; &, sic, dum Contradictionem quam objeceram devitare conatur, in aliam, eámque pejorem, incidit.

21. Frustra etiam *evadere* sperat §. 15. explicando *Applicationem*, quæ evidenter *Extrinseca* est, per *Figuram* & *Motum*, quæ *Intrinseca* sunt Subjecto. Nam primò, explicare Vocem [*Applicatio*] quæ evidentissimè Extrinsecum quid sonat, per *Figuram* & *Motum*, quæ Subjectis suis sunt evidenter *Intrinseca*, idem est atque explicare *Album* per *Nigrum*. Deinde Concedimus Motum & Figuram esse *Intrinsecas* Affectiones *Subjecti* sui; at quæstio est, quodnam sit horum Modorum *Subjectum*. Dico itaque quod Subjectum cujuslibet Modi debet esse *Unum* quiddam seu *Determinatum*: quare, unamquamque harum Particularum esse *Unam* & *Determinatam* Rem, indéque tum

Quàm lepidè explicat [*Applicationem*] quæ manifestè *Extrinseca* est, per *Figuram* & *Motum*, quæ Subjectis suis *Intrinseca* sunt.

Motum tum *Figuram uni* & *Determinato* illi *Mobili* ſeu Subjecto ineſſe facilè concedo. Sed hoc non accedit ad Quæſtionem noſtram quæ procedit de Fictitio illo Ente *Compoſito* ſeu *Corpore Naturali Mixto*; quod probavimus non eſſe *Unum* aliquod *Ens* aut *Subjectum*, ſed *Multa Entia* ac *multa Subjecta*, ut ſuperiùs demonſtravimus. Recurrit itaque ac premit Difficultas, unde habet *Mixtum* illud (& non ſingulæ illæ particulæ) quòd ſit *Unum* aliquod *Ens*, quod ſi non fuerit, neque *Subjectum* horum Accidentium eſſe poterit. Relapſus eſt itaque D. *Le Grand* in difficultatem illam quàm in Appendice meâ acriter preſſi & in libris meis datâ occaſione, inculcavi; nempe, quomodò *Mixtum* illud Componatur in Unum *Ens*: quod niſi fiat, neque *Subjectum* Figuræ alicujus aut Motûs erit illud; ſed Diverſæ illæ particulæ, ſeu *Multa* illa *Entia*, è quibus Mixtum illud conflari aſſerit. Sed, de hoc ſilet omninò, nec quicquam hîc adduxit quo probet Extrinſecas ſeu Accidentales rationes poſſe Rationem Entis, quæ eſt omnium *maximè Intrinſeca*, conſtituere: vel Multa Entia in *Unum Ens* componere. Videt, hoc ad Metaphyſicam pertinere; nec facilè erit elabi è caſibus Rationum illarum quæ ab *Altiſſimis Cauſis* ſeu *Communiſſimis* Humani Generis *Notionibus* deducuntur. Ulciſcetur Regina illa Scientiarum injuriam præcipuis Subjectis ſuis (Rationibus, ſcilicet *Entis* & *Unius*) illatam; ſtringétque Adverſarium, donec ad apertiſſimas Contradictiones ac Confuſionem manifeſtam ipſum adigat. Verbi gratiâ, (ut nuper demonſtrata non repetam.) Allegabit quod Ratio *Entis* ſit omnium *Prima*, cui Rationes omnes *Modorum Entis* ſeu *Accidentium* ſuperveniunt

niunt eámque subsequuntur; ergo, formaliter loquendo *priùs* constituenda est ratio *Entis*, quàm ad Modos perveniamus. Quare, cùm Ratio *Entis* sit omnium *Prima*, etiam *Partes* Entis, prout formaliter *Ens* est, debent *propriè* & *Primò* esse *Partes*: hoc est tales, ut nullo modo possint esse *Tota*; Quales Partes sunt *Actus* seu *Forma*, & *Potentia* seu *Materia*; quarum neutra est, nec possit esse *Ens* seu *Totum*. Ergo, cùm Ens sic constitutum *possit* Existere, *Ultimò Determinatum* est in ratione *Entis*, & *Unius* quæ est Proprietas Entis, ideóque nihil prorsus ei supervenire possit nisi *Accidentia*; Ergo nulla Entia sive Magna, sive Parva, superaddita *Enti* sic *ultimò Determinato* in ratione *Entis*, possunt *ulteriorem* Determinationem *Essentialem*, seu in *Entis* ratione, Ei dare: Ergo illa Entia addita aliis non *Ens* sunt, sed *Entia*. Ergo, si quando uniantur, Unio illa erit tantùm *Accidentalis*, non *Essentialis*, quæ sola *Unum Ens* constituit; neque *Unum*, quod verè tale est, sed *Multa*. Ergo *Ens* (quod verè *Ens* & *Unum* est) *Compositum* ex *multis* & pænè Infinitis Particulis Cartesianis, quarum singulæ sunt Entia, omninò Fictitium est atque Absurdissimum, & Communissimas Humani Generis Notiones, & *Primas Naturas* Rerum (*Entium*, scilicet, & *Modorum Entis*) confundit ac pervertit, dum facit *Unum*, *Divisum in se*.

22. Non video quid ulteriùs, ad Quæstionis de *Formali Mutatione* decisionem, addi oporteat. Cætera D. *Le Grand* condono, in quibus, singulis paribus, præ defectu Principiorum quibus innitatur, vacillat ac cæspitat. Quàm crudè de *Asperitate* philosophatur, dum rationem illius in solo partium Situ collocat! Perindè ac si quando aliæ partes, *Aquæ*, *v. g.* attol-

Aliæ Objectiones futiles refutantur.

attolluntur, aliæ deprimuntur, Aqua illa Tactui *Aspera* esset: Ut videatur ad *Asperitatis* rationem requiri necessario *Densitatem*; ita ut (quod Aristoteli nuper citato consonum est) *Asperitas* non sit nisi *Quædam Densitas*, Situ modificata. Quòd *omnis Mutatio non fiat gradatim*, facilè concedo. Mutatio in genere consistit in eo quòd Res *non sit sicut antè*: Dividitur in *Instantaneam*, (qualis est *Generatio*;) & *Successivam*, quæ eadem est cum *Motu* & ad Accidentales *Alterationes* spectat. Unde, si quando Mutationem Motum appellem, Subjectum & Circumstantiæ restringunt me, ut de *tali* Mutatione, non autem de *omni*, id intelligam; Instantiæ quas adducit, de Chalybe, Oscitatione, Populo vociferante, Tubis clangentibus, & Jerichûntis muris corruentibus, ridiculæ sunt; sed deest mihi otium ad Lectoris risum movendum. Nam, quidnam impedit hæc omnia per Motum & non instantaneè fieri: Secùs tamen est, ubicunque Omnipotentia Divina *immediatè* se exerit: Tunc enim non *per Motum* vel *gradatim*, sed *Instantaneè* ponit Effectum; non autem quando Angelorum Ministerio utitur. Notandum verò est, qualis Confutator sit D. *Le Grand*. Ego de solis *Agentibus Naturalibus* ac *Corporeis*, more Philosophi, locutus sum; atque asserui de *his* quòd *gradatim* operentur: Et is me doctissimè conconfutat objiciendo quòd Agentia *Supernaturalia* & *Omnipotentia Divina* (de quibus nullus erat sermo) non *gradatim*, sed *Instantaneè* Effectus ponant. De Identitate Entitativâ Corporis & Animæ satis largè, idque in multis locis tractavi; ostendi etiam demonstrative quod uniri in ratione *Agentis* seu *Coagentis* non sit uniri in ratione *Entis*. Videatur Philosophia Solid.

Solid. Affert. Præl. 5. §. 25. Largas super hâc re Explicationes §. 24. accumulat; quæ ut accidit, modò Veræ, modò Falsæ sunt. De Inæqualitate Animarum satis egi in Examine primo, §§. 34, 35, 36. De Curiositatibus quas hîc illîc spargit, seu (ut vocat §. 33.) *Variis observationibus non vulgaribus*, quò *delectet* illos *Varietate quos Argumenti Simplicis pondus non moveat*, nihil habeo quod dicam. *Movere risum* fortassis possunt Argumenta ipsius: at quòd moveant aliquem ad *Assensum*, aut *pondere* obruant Adversarium, incredibile est. Utinam curiositatibus scribendis opellam suam impenderet, & non se misceret Philosophicis; quorum nè quidem *Prima* novit *Principia*. Sic etenim tum famæ ipsius, tum Rei quoque Literariæ melius consultum foret.

Propositiones Categoricæ è Tertio Examine Collectæ, & à D. *Le Grand* ad *Terminorum Connexionem* Reducendæ.

Extrinsecum est Intrinsecum: seu, Quæ Extrinseca sunt alicui Rei, possunt esse Intrinseca eidem. §. 5.

Materia & Forma multarum Rerum constituunt Formam alterius Rei. Ibid.

Translatio *vel* Applicatio *multorum Entium, est Novi Entis* Generatio. Ibid.

Ens *est* Entia: *Et* Unum *est* Multa. *Seu* Ens *quod* Unum *est in ratione* Entis, *est pariter* Multa *sub eâdem ratione.* §. 6.

Quod componitur *ex* Actu & Potentia, *seu ex Materiâ & Formâ, Ens* Simplex *est.* §. 7.

Quod

Quod decomponitur *ex Infinitis pene Entibus* Compoſitis, Unum *nihilominus* Ens *eſt: ſeu, quod perinde eſt, Totus Mundus poteſt eſſe* Unum Ens. Ibid.

Quod Compoſitum *eſt in ratione* Entis, *ſub eâdem ratione Ens* Simplex *eſt.* §. 7.

Illa ſunt Compoſita in ratione Entis, *ſeu* Subſtantiæ, *quæ non ſunt Compoſita niſi in ratione alicujus* Accidentis. §. 8.

Entia illa non ſunt ultimò determinata in ratione Entis & Unius *quæ ſunt* capacia exiſtentiæ. §. 9.

Ens Completum *in ratione Entis & Unius, poteſt* ulteriùs compleri *in eâdem ratione* Unius & Entis. §. 10.

Ea Philoſophia non eſt Optima, quæ nihil *omninò ſupponit gratis.* §. 11.

Illud eſt Diviſibile quod nullo modo, *hoc eſt, neque* facilè, *nec* difficulter *dividi poteſt.* §. 12.

Phyſica *eſt* Mathematica: *ſeu, (cùm Scientiæ ſpecificentur ab Objectis) Quantitas, prout* abſtrahit *à Diviſione, eſt Quantitas quatenus* ordinem *dicit* ad *Diviſionem.* Ibid.

Id quod habet rationem Determinabilis (i. e. Materia,) *habet nihilominùs rationem* Determinativi *(i. e.* Formæ;) *imò rationem* Entis, *quod* ultimò *atque* omninò Determinatum *eſt in lineâ Entis, ſeu* Capax Exiſtentiæ. §. 13.

Poteſt aliquid habere in ſe rationem Quantitatis, ſeu Diviſibilitatis, & tamen non habere vel plus *vel* minus *de illâ ratione.* §. 14.

Extenſio ſeu Modus Rei *eſt Res* exiſtens, *ſeu Materia.* §. 17.

Interrogare *eſt* Probare. Ibid.

Converſio neque habet Terminum à Quo *neque Terminum* ad Quem. §. 18.

Enumerare vitia alterius eſt defendere eum a committendo illa. §. 19.

EPI-

Epilogus
AD
D. LE GRAND
Directus.

VIdes, mi Amice, *Telam*, quam, invitâ Arte, orditus es, *detextam*; Vides *Scopas* quas laxè colligâsti, *dissolutas*. Vides etiam quàm facillimo negotio id peractum. Intra bimestre spatium Biennali opusculo tuo plenè responsum; Longè citiùs te salutâssem nisi quòd per sex integras septimanas avocamento necessario Studia mea penitùs intermittere coactus fuerim; & Prælum tarditate insolitâ evulgationem Opusculi istius distulerit; uti amici, quibus res meæ perspectæ sunt, satis nôrunt, & tibi testaturi sunt. Quæ tibi nota facio nè stylum minùs limatum, aliósque in Dictione defectus incuses: Currente siquidem calamo, quando suppetebat mihi otium, hæc omnia conscripsi. Neque diligentiâ magis exactâ opus erat: Nam, nullus *Nodus* in *Scirpo* tuis occurrebat; neque ullam Difficultatem in te confutando sensi, præterquam in *quæritando* ubique, atque indagando ubinam loci Argumenta tua se *absconderent*. Nondum te pernôram; nec suspicari potui quenquam in lucem prodire ausum, nullis *Rationibus*, quæ non aliquo saltem modo *premere* videbantur, armatum. Tu solus atque unicus es ex Scriptoribus omnibus qui se Philosophiæ Candidatos profitentur, quoscunque legi vel fando audivi, cujus *Argumenta* erant prorsus *Invisibilia*. *Ais*, *Asseris*, *Explicas*, *Conclusiones* meas *negas*, atque in illas furibundi

ribundi more *inveheris*; *garris*, ac multa incondita *effutis*, *Irrisoria* ac *Contumeliosa* dicteria *interseris*, *Curiositates* nonnullas, quas hinc illinc *excerpseras*, ad divertendum Lectoris animum interspergis: Sed quòd vel unum aliquod *Principium* aut *Argumentum* attuleris, quòd alterutrius nomine dignum fuerit, nemo mortalium, licèt oculatissimus, dispicere valebit. Is siquidem Ignorantiæ Genius est, ut quæcunque *dixerit*, aut *mente conceperit*, id omne satis supérque *probatum* existimet; &, tanquam è Tripode dictum, ipsimet *appareat* esse Verum, ac magnoperè perplaceat. Ignoscas tibimet quòd me, vel invitum, ad utendum rigore aliquo perpuleris. *Nævos* equidem tuos libentissimè celâssem, imò *graviores lapsus* leni manu tractâssem; vacillanti amicam porrexissem manum; & procumbentem denuò erexissem, si *per te* licuisset: utpote quem non Veri videndi cupidum, sed, insanabili Livoris morbo, usque ad insaniam correptum persensi. Non enim Adversarii, sententiam suam quam opinatus est Veram esse, defendentis, indolem sapit Oppositio tua; sed, Perduellis Rabiosi Internecinis armis Personam meam adorientis. Nequaquam siquidem Invidiæ tuæ satisfecit, hominem tui amantem, nec quidquam quod probrosum erat tibi unquam objicientem, *cutaneis* & sanabilibus afficere vulneribus; sed, Famæ meæ Christianæ, vitâ ipsâ charioris, *ipsum Jugulum* petiisti. Nescio quot *Hæresibus*, imò *Ethnicismo* me onerâsti; &, quod etiam pejus est, in dubium vocâsti an *Deum agnoscam*; hoc est, an *Atheus* sim. Quid quòd de Moribus meis pessima omnia dixisti. *Fastum*, *Superbiam*, *Arrogantiam imperiosam* & nemini tolerandam; *Petulans ingenium*, *Judicium pravum*, *faciem non satis honestam*, & hujusmodi Eloquentiæ tuæ Rusticæ Flosculos malè olentes, (quæ nemo

mo præter te moribus meis convenire unquam existimavit,) malevolentiâ tumidus, objecisti. Idque adeò projectâ omni Veri dicendi curâ, ut sæpenumerò in unicâ paginâ quamplurimas Falsitates apertissimas, absque pudore vel Lectorum reverentiâ, oggesseris. Adeò futilis es in *Fastu* objiciendo, ut non videas nos omnes mutuas operas tradere, & quòd *doceamus* ac *doceamur* invicem; nec *Fastu* sed Officium id dici debeat; Imò, qui profitetur se non credere quòd *profectui* seu *utilitati* aliorum quicquam conferat, vel inde convincitur vel *Vanitatis* vel *Lucri* causâ scribere.

Fateor equidem narrâsse mihi Reverendum D. J. idque coram Viris nonnullis præcipuâ Nobilitate Insignibus, quòd cùm te nuper invisit, tu plurimâ salute me impertivisti, & petiisti veniam quòd adeò rudi more in Præfatione tuâ me tractaveris; ac rejecisse culpam in nonnullos Cartesianos Londinenses, qui ad te scripsêrunt, quod, nisi id feceris, actum esset de Causâ Cartesianâ. Subrisi, respondíque novam esse istam Veritatis defendendæ Methodum; Convitiis, scilicet, ac Maledicentiis, adversus Religionem ac Mores ipsius, Adversarium insectari; & quòd Rationibus, non Contumeliis, Veritati Patronicium (modò id tibi propositum erat) præstari deberet. Alia etiam ejusmodi stratagemata ad me lactandum didita esse audio, quò æquiùs feram Calumnias tuas insolentissimas; nec te coloribus, quibus tu Teipsum depinxisti, repræsentem. At quâ ratione, quo jure id sperare potuisti? Pervolitat ubique Libellus tuus Famosus inter Cartesianos tuos in Angliâ; nec dubium quin in Hollandiâ quoque ac in Galliis spargatur. Incumbit itaque mihi dare operam ut venenatis tuis calumniis Antidotus pari vigore præparata occurrat. Satisfactione Publicâ non

Privatâ

Privatâ opus eſt ad Famæ meæ Reparationem; quam, poſthabitâ omni Religionis, vel etiam Veritatis curâ, quantum in te erat, apud omnes qui me non nôrunt, ladere, denigrare & perimere conatus es. Non quòd apud noſtrates quibus notus ſum, Scriptum illud tuum Libellaticum mihi nocere potuit. Nemo Intemperantiam tuam non vituperat ac deteſtatur: Nec quiſquam ex Amicis tuis Patrocinium tui taliter debacchantis in ſe ſuſcipere integrum ſibi ducit; ſed omnes certatim à ſe amovent ſuſpicionem quòd tecum rem habeant, vel tibi ferocienti ac calumnianti quoquo modo faveant aut obſecundent.

Ingratum erit tibi ſi commemorem quot & quanti Clariſſimi ac Doctiſſimi Viri mecum egerint nè Reſponſo ullo te honeſtare vellem; vel, ſi tibi narrem, quot ac quibus Titulis male ſonantibus, ob *Inſcitiam*, te ornârint. Nonnulli, quò abſiſterem, exemplum mihi propoſuerunt Clariſſimi *Wilhſii*; Contra quem, cùm Chymiſta quidam nullius nominis ſcripſerat, iſque reſponſo intentus erat; deſtitit tamen ab incepto ex monitis amicorum, allegantium quod magnum, id faciendo, dehoneſtamentum conſciſceret ſibi, & decus atque ornamentum impertiret Adverſario. Attamen, non Tui, ſed aliorum, Famæque meæ gratiâ, opuſculum iſtud exrâvi. Nâm non pote is tibi non eſſe conſcius quòd *Nulla Principia* noveris; at nec *Concluſionem ullam* quæ ad Principia *reducibilis* ſit. Quicquid tu dicis (quid enim non dicturus es?) neque Te, nec quenquam alium *hactenus* provocavi; At *jam* provoco te & Amicos tuos, modò quiſquam ſit qui ineptiis tuis putrocinari æquum cenſeat. Verùm, *ad quid* te provocem? Num ad *gratis dicta garriendum*, ad *Explicandum*, vel ad *Ignota & non Probata* effutiendum? Nequaquam. Sed, (ſi Is ſis quem te haberi cupis) ut *Principia* ſignes quibus inſiſtas; ut *Theſes* tuas *Categoricè* ponas; &, deinde, *Intrinſecis Mediis*, & *Commexâ Ratione*, eas eſſe Veras *probes* ſeu *demonſtres*. Denique, ſcias velim quòd nili id præſtes, *Teipſum*, quicquid *Verbis* jactitas, eſſe *revera* in Philoſophiâ prane *Hominem Nihili* manifeſtabis; neque vel Mundo Utile, at nec mihi honorificum erit, te, quidlibet pro libitu deblaterantem, Reſponſo ulteriore dignari. *Vale.*

FINIS.

MVSEVM BRITANNICVM